PRÆLECTIONES
DIPLOMATICÆ,

QUAS

IN USUM AUDITORUM SUORUM

EX

GATTERERO, ECKHARDO
ET GRUBERO

ADORNAVIT

GODEFRIDUS UHLICH

E SCHOLIS PIIS

DIPLOMATICÆ ET NUMISMATICÆ

IN

UNIVERSITATE LEOPOLITANA

PROFESSOR.

LEOPOLI,

TYPIS PILLERIANIS

1785.

PROLEGOMENA.

DE DIPLOMATIBUS ET ARTE DIPLOMATICA

GENERATIM.

Diplomata à græca voce DIPLOMA, quod Duplicatum, aut etiam libellum duorum foliorum, intus ſcriptum, foris vacuum, ſignificat, ita dicta, ſunt Deſcriptiones, ſeu formulæ ſcriptæ iurium & obligationum, vel etiam rerum in facto ſpoſitarum, ſolemnibus verbis ac ritibus conceptæ.

Diplomata antiquiſſimo ac medio præſertim ævo, etiam *Præcepta*, *Privilegia*, *paginæ*, *litteræ*,

Panchartæ, *instrumenta*, *Placita*, *Bullæ*, *Codicilli* &c. dicta sunt.

Asservabantur hæc diplomata jam a primis temporibus in palatiis regum, aut in ecclesiis & cœnobiis, ubi pro ipsis *Archiva* instituta erant, in quibus summa cura reponebantur; neve ob funestos incendiorum bellorumque casus, aliasque temporum injurias interirent, sæpe plura exempla unius Diplomatis confecta sunt, quæ diversis tabulariis custodienda tradebantur.

Verum in tanta Diplomatum copia multa quoque *spuria* inveniuntur, quæ per falsarios & impostores vel spe emolumenti, vel alia causa minus honesta fuerunt conficta, licet ad coercendam huiusmodi impostorum licentiam gravissimæ pœnæ essent statutæ.

Sic Senatus consulto, Neronis temporibus facto, sancitum est, ut tabulæ publici vel privati contractus non obsignarentur, nisi pertusæ ac ter lino per foramina traiecto; & apud Germaniæ populos amissione certæ bonorum partis, & præsertim manus aut pollicis amputatione, quin etiam ultimo supplicio in Chartarum vel publicarum vel privatarum corruptores & Sigillorum adulteratores est animadversum.

Nulla autem sæcula huius imposturæ feraciora fuerunt, quam undecimum, & proxima, quæ illud sequuntur, ubi ferme omne

ne litterarum lumen exſtinctum erat; & monachi potiſſimum, qui tunc ſoli ſcribendi artem noverunt, huius criminis accuſabantur, quippe, qui in fingendis interpollandisque diplomatum tabulis ita excelluerunt, ut turpi hoc artificio inſignem fecerint quæſtum, & ex officina illorum ingens falſorum diplomatum numerus prodierit.

Magna igitur cautela opus eſt ad dignoſcenda *falſa* & fictitia a *genuinis* & ſinceris, certæque regulæ ſunt adhibendæ, ad quas tanquam ad lydium lapidem diplomatum fides exigi, ſeu Judicium de integritate & falſitate eorundem dirigi poſſet. Atque regulas has *ars Diplomatica* nobis ſuppeditat.

Eſt autem *ars Diplomatica* ſcientia Diplomatum *intelligendorum*, *diiudicandorum aliisque rebus applicandorum*. Scientia Diplomata *intelligendi* requirit dexteritatem in legendis omnium ſæculorum ſcriptis, & accuratam linguæ, ſignorum & Formularum cognitionem; *diſudicandi*: falſa a genuinis diſtinguendi, *applicandi* in caſibus juridicis ad evincendam veritatem adhibendi

Dividitur Diplomatica in *univerſalem*, *particularem* & *ſingularem*.

Diplomaticæ *Univerſalis* ſyſtema elaborarunt feliciſſimo ſucceſſu Galli duo Ordinis S. Benedi-

cti e Congregatione S. Mauri sub titulo: Nouveau Traite de Diplomatique, quod insigne opus germanice vertit Joh. Christ. Adelung. In *particulari* optima specimina ediderunt: Joh. Mabillonius, Dan. Papebrochius, Nic. Hertius, Scip. Maffei, Christ. Eckhardus, Christophorus Gatterer. Omnes hos longo post se intervallo reliquit Godefridus Bessel in Chronico suo Gottwicensi. In *singulari* denique exempla præbuerunt Christ. Murr in Comm. de re Diplomatica Friderici II, Gerkenii Diplomataria veteris Marchiæ Brandenb. Schöphlini Alsatia Diplomatica, Philiberti Huber Austria ex Archivo Mellicensi illustrata, Fröhlich Diplomataria S. Styriæ &c.

Diplomata quoque varie dividuntur, & quidem I ratione formæ externæ in *Tabulas*, *Codicillos* & *Chartas*.

Tabulæ sunt Diplomata ea, quæ ut alia monumenta publica, præsertim saxis, metallis &c. inscripta sunt, *Codicilli* sunt ea, quæ ad modum libellorum sunt confecta, *Chartæ* denique omnia Diplomata, quæ neque monumentorum, neque libellorum formam præseferunt.

II Ratione eorum, a quibus dari solent, in *Sacra* seu *Ecclesiastica*, & *Civilia* seu *sæcularia* ac præterea in *publica* & *privata*, illa publicas res, hæc privatas respiciunt

In publicis Diplomatibus alia ad plures respublicas, earumque rectores, alia ad unam tantum rempublicam spectant. Prioris generis diplomata publica *Tractatus*, posterioris *Constitutiones* brevitatis ac doctrinæ causa nobis appellare liceat.

ceat. *Tractatuum* ſpecies ſunt: *Fœdera*, *inſtrumenta pacis*, *declarationes*; *notitiæ*, *ſanctiones pragmaticæ* &c. *Conſtitutionum* vero exempla ſunt: *Leges*, *privilegia*, *Decreta*, *edicta*, *mandata*, *ſententiæ*.

III Ratione objectorum in *Acta* & *Documenta*. *Acta* ſunt, in quibus res in facto poſitæ deſcribuntur: *Documenta* vero, quibus jurium & obligationum deſcriptiones continentur.

IIII Denique ratione fidei, quam merentur, in *Autographa* ſeu *Archetypa*, quæ barbara ætas *Originalia* appellavit, & in *Apographa* ſeu *exempla*, quæ etiam copiæ ſeu *Transſumta* minus latine vocantur.

Autographorum plura interdum exemplaria exarantur, id quod in fœderibus, pacis inſtrumentis, contractibus accidere ſolet. Eiusmodi autographa, quorum plura exemplaria ſcripta ſunt, *Chartæ paricla*, item *Chirographa*, chartæ partitæ, *indentatæ* ſunt vocata.

Apographorum duo iterum ſunt genera. Alia enim publica, alia privata Auctoritate conficiuntur. Illa *apographa authentica*, ſeu *vidimata*, hæc *apographa vaga* ſeu *incerta* appellari poſſunt. Apographis authenticis eadem fides, quæ autographis ipſorum tribuenda eſt; vaga autem apographa non repudianda quidem ſtatim, altiore tamen indagine digna ſunt.

Apographa eiusmodi non tantum ſeparatim reperiuntur, ſed exſtant etiam integra volumina,

quibus illata funt. Hæ vero collectiones *Instrumentalia Voluminua*, *Panchartæ*, *Chartularia*, *Registraria*, *Diplomataria*, *Bullaria* aut *Libri copiales* vocari folent. Eiusmodi Chartulariorum ufus ante fæculum X vel nullus fuit, vel rarus admodum, in Germania vix ante finem XIII reperiuntur.

Diplomatum ufus eft longe antiquiffimus, & apud omnes nationes, qui fcribendi artem callebant, notiffimus. Germani illum a Romanis didicerunt. Temporum iniuriæ, bella, incendia aliique funefti cafus rei diplomaticæ tam perniciofa fuerunt, ut nullum in papyro ægyptiaca vel membrana fcriptum Diploma exftet, quod Sæculo V fit antiquius. Crevit dein illorum numerus ratione fæculorum ita, ut quo magis illa a Sæculo V abfint, tanto major diplomatum numerus reperiatur.

Artis vero *Diplomaticæ* originem recentioribus temporibus, noftræque ætati debemus. Occafionem præbuere controverfiæ plurimæ, de diplomatum auctoritate exortæ. Certas igitur regulas definire opus erat, quibus illorum fides probaretur. Præftitit id Mabillonius in opere fuo immortali, quod *de re diplomatica* infcripferat, quem mox alii de hac fcientia egregie meriti, fecuti funt, quorum conatu ars Diplomatica lætioribus indies augmentis crevit.

Contro-

Controversiæ, quæ ſcriptis diplomaticis illuſtratæ ſunt, fuerunt in Germania præcipue ſequentes 1. Archiepiſcopi atque Electoris Trevirenſis cum Abbatia S. Maximini, cuius libertatem egregie defendit Nic. Zilleſius 2. Civitatis Magdeburgenſis propter privilegia quædam ab Imperatoribus conceſſa, quæ Borcholtius & alii impugnarunt, Benjaminus Leuberus vero illuſtranda ſuſcepit, 3. Lis graviſſima ac diuturna, quam Lindavienſis Abbatia civitati Lindavienſi intenderat, ubi in vindicanda urbis iibertate opera Danielis Heideri & Hermanni Conringii præcipue excelluit.

Qui in Germania rem Diplomaticam ſcriptis illuſtrarunt, ſunt: Joh. Hertius, qui Mabillonii inventa ad patriæ noſtræ jura accomodavit; Godefridus Beſſel, qui derelictum a Mabillonio locum a Conrado I uſque ad Ottonem IV ſumma induſtriæ ac perſpicuitatis laude proſecutus eſt, & Chriſt. Henricus Eckkardus, & Chriſtophorus Gattererus, qui primi artis huius compendium in uſum ſcholarum ediderunt. Addendi ſunt his Ferd. L. B. de Gudenus ob codicem ſuum Diplomaticum, Daniel Baringius ob Clavem diplomaticam, Joh. Ludolf Waltherus ob Lexicon diplomaticum, nec non Joh. Mich. Heineccius & Godefridus Leonardus Baudiſſius, quorum alter ſigillorum, alter Monogrammatum doctrinam ad artem redegit.

Innumera a Diplomatices ſtudio in reliquas ſcientias commoda proficiſci facile patet. Plurimum vero emolumenti ex illo hauriunt: Hiſtoria, Chronologia, Geographia, Genealogia, Heraldica, ac Juris tam civilis quam eccleſiaſtici cognitio.

Ac I quidem *Historia*: quia diplomata maiorem fidem merentur, quam annales, cum illa nomine principum & solemnibus formulis, hi vero potissimum ab hominibus arcanorum politicorum inscriis, & partium studio abreptis sunt confecta, quia præterea veras & genuinas rerum causas aperiunt, & acta pacis & belli, eorumque consilia & exitus mirifice illustrant, quæ obscure ab aliis Historicis enarrantur.

2 *Chronologia*: quia non solum epocha vulgari, sed variis aliis temporum notis utuntur Diplomatici, quia annos quoque Indictionum exprimunt, annos Imperii & regni sollicite distinguunt, & diem quoque, quo aliquid actum est, diligenter notant.

3 *Geographia*: quia palatia publica, curtes regias, villas & pagos, in quibus regna olim divisa erant, adcurate adnotant.

4 *Genealogia*: quia ex illis Familiarum origines earumque nexus, Imperatorum, Regum ac Principum series, agnati, propingui, affines, aliaque, quæ scire in Genealogia interest, optime eruuntur.

5 *Heraldica*: quia in sigillis diplomatum totus Principum habitus accurate exprimitur, & quia ex illis rectissime discimus, quando Principes insignibus uti cœperint, & quibus armis gentilitiis familiæ illustres ab antiquissimis temporibus usæ sint.

6 *Studium Antiquitatum*: Quia ritus veterum in negotiis, tam ad res divinas, quam humanas pertinentibus, rem militarem & vestiariam accura-

rate Diplomata pandunt, & antiquior Curiæ ſtilus ex illis unice diſcitur.

7 *Jurisprudentia* denique tum *civilis* tum *ecclesiaſtica*, quia ex illis Gentium conſuetudines, ritus, legesque provinciales accuratius quam ex aliis monumentis hauriri poſſunt, quia conventiones & contractus, & ipſam fori conſuetudinem, genuinam feudorum originem, jura Imperatorum circa feuda imperii, antiquitates feudales, veram imperii germanici faciem, limites inter jura & poteſtatem Imperatoris & ſtatuum imperii, ac denique etiam ſtatum eccleſiæ eiusque regimen, jura imperatorum & principum circa ſacra, fundationes eccleſiarum, & jura illarum ſumma fide definiunt, & clariſſime illuſtrant.

Qui igitur in ſtudio per totius vitæ curſum adeo ſibi profuturo cum laude & fructu verſari cupit, ante omnia ſciat & conſulat oportet præſidia, quæ tam ad intelligenda diplomata, quam ad rectius de iis judicium ferendum pertinent. In ſubſidiariis igitur Hiſtoriæ ſcientiis apprime inſtructus ſit oportet, & linguam tum latinam, tum Teutonicam medii ævi, earumque Etymologiam probe calleat. Scripta quoque virorum, qui hac in arte deſudarunt, & quæ in bellis diplomaticis in lucem ſunt emiſſa, diurna nocturnaque manu verſet, videatque, ut faciles aditus ad principum Tabularia bene inſtructa habeat, & ipſa Diplomatum Autographa cum cura inſpicere & excutere poſſit.

Barbara vulgo latinitas eſt, quæ in Diplomatibus occurrit, & lingua quoque Germanica a noſtra plurimum diverſa. Conſulenda igitur ſunt ad utriusque Idiothiſmos probe intelligendos Gloſſaria mediæ & infimæ latinitatis, Germanica, Anglo ſaxonica, Francica, Allemannica, quæ dederunt Carolus du Freſne, Joh. Georg. Wachterus, Joh. Schilterus in Tomo III Theſauri antiquitat. teutonicarum, aliique. Inſpicienda præterea ſunt Godefr. Leibnitii collectanea etymologica, & Joach. Erneſti de Weſtphalen Bibliotheca etymologica.

SE-



SECTIO I.

DE GRAPHICA SEU PRIMA THEORICÆ DIPLOMATICÆ PARTE

Ars diplomatica tribus præcipue ſcientiis nititur: *Graphica*, *Semiotica* & *arte Formulari*.

Alias etiam in *Theoricam* & in *Practicam* diſtribuitur ars Diplomatica; illa tradit ea, quæ eum oportet ſcire, qui ad Diplomata intelligenda, diiudicanda aliisque rebus applicanda accedere ſtudet; hæc vero in exercitatione conſiſtet, oſtendens ſcilicet, quomodo in diplomatibus intelligendis, diiudicandis applicandisque verſandum ſit. Alii etiam eam ſecundum *notas externas*, & *internas* diſtinguunt. Ad *externas* referunt materiam, in qua, & ex qua, Linguam, ſcripturam, monogrammata ac ſigilla, ad *internas* autem for-

mu-

mulas initiales, Nomina & titulos Principum, ipsum argumentum, clausulas, subscriptiones, notas chronicas & loci designationes.

Graphica non solum scriptoria instrumenta, ut chartam, atramentum, calamos, stilos, sed etiam ipsam scripturam, eiusque classes, ordines, genera, & species explicat. Nititur igitur his V partibus I Notitia instrumentorum scriptoriorum, II Grammatologia, III Ortographia, IIII Stigmeologia, V Brachygraphia.

Semiotica in exponendis Chrismis, signis Notariorum, symbolis investiturae, Crucibus, Monogrammatibus & sigillis versatur.

Ars denique *Formularis* explicatione Formularum in initio, contextu & clausula adhiberi solitarum, nec non in examine Nominum & Titulorum, subscriptionum, notarum Chronologicarum, & locorum, in quibus Diplomata data sunt, occupatur.

CAPUT I.

De instrumentis scriptoriis.

Instrumenta ad scribenda Diplomata necessaria sunt: 1 *Materia, cui inscribuntur*, 2 *Liquor,* quo in scribendo uti placet, 3 *Calami*, & reliqua *scriptoria supellex.*

Va-

Varia & multiplex fuit *materia*, cui res notatu dignas, & inter hæc etiam Diplomata inſcribebant Veteres. Sumebant hanc ex omnibus naturæ regnis; & I quidem ex *regno minerali* metalla & ſaxa; II *ex regno Vegetabili* plantas & arbores varias, earumque tam corticem, lignum, medullam, quam folia, palmarum imprimis & olivarum. Referimus huc Chartam corticeam, papyrum Ægypti, tabulas ligneas, Chartam Goſſypinam, bombycinam ac denique vulgarem noſtram linteam; III denique *ex regno animali* Coria piſcium, ſerpentum exuvias, Elephantium tam inteſtina quam dentes, unde tabulæ eburneæ, ovium ac vitulorum caprarumque pelles, unde membrana ſeu Charta Pergamena

I. Saxa & metalla materiam ſcriptis præbuiſſe teſtantur; Tabulæ Moyſis, 2 illud Jobi: Quis mihi tribuat, ut ſcribantur ſermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro ſtylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice. 3. Pyramides Ægyptiorum, Hieroglyphicis ſiguris exornatæ, 4 Lapides, quibus Babyloniorum aſtronomicæ obſervationes inſcribebantur, 5 Heſiodi opera, quæ Pauſanias in plumbeis tabulis vidiſſe teſtatur 6 12 Tabulæ legum apud Romanos. Exſtat etiam tale Diploma lapideum alicuius Epiſcopi Joannis Ravennæ, & duo in Italia plumbeis tabulis ſignata, unum Leonis III Pontificis, alterum Luitbrandi Longobardorum regis.

(II Palmarum foliis primo ſcriptitatum, Plinius in Hiſt., nat.; Diodorus Olivarum dicit. In

In-

India Orientali adhucdum foliis arborum, Chartarum loco, incolæ utuntur. Charta Ægyptiaca tempore Alexandri, cum Alexandriam ædificabat, inventa dicitur, jamque Anacreonti, Alcæo & Platoni nota erat; desiit eiusdem usus Sæc. XII; Charta bombycina a Montfaucon Sæc. IX adscribitur, ex græcis libris multi, ex latinis pauci eidem inscripti inveniuntur. Charta Gossypina seu Xylina inde a *Sæc.* X seu XI, magis vero XIII præsertim apud Græcos usitata est.

III Homeri Ilias & Pentateuchus serpentis exuviis inscripta fuerunt, tabulæ eburneæ apud divites erant frequentes, Imperatorum præcipue mandata illis excipiebantur, Charta Pergamena a Pergamo, Asiæ minoris urbe, ita dicta est, & cum Ægyptiaca prohibita fuisset, in eadem urbe inventa, erat autem aut albi, aut purpurei & flavi coloris.

Charta pergamena jam a Sæc. VI, magis vero VIII omnium usitatissima fuit, & Germani ea fere sola ad annum usque 1280, Gudeno teste, contenti erant, donec Sæc. 13 & 14 *Chartæ* nostratis *linteæ* inventio novam scribentibus materiam subministraret. Prævalebat tamen semper membrana, & hodie quoque, si res tamen alicuius momenti est, in illa scribi solet. Ad *formam membranarum* quod attinet, notandum: illas in *latitudinem* vulgo usque ad Sæculum XI extensas esse, inde vero etiam in *longitudinem*, ita tamen, ut in posteriori casu nullum spatium marginale fuerit relictum. Diversæ quoque

erant

erant magnitudinis; quædam ad longitudinem mediæ orgiæ extendebantur, quædam vix chartas noſtras luſorias ſuperabant, ita ut plures conjungere fuiſſet neceſſarium, quia in utraque parte ſcribere neque uſu receptum fuit, neque ob appenſionem ſigillorum poſſibile.

Difficile eſt Chartarum diſcrimina diſcernere, nec oculo etiam exercitatiſſimo id ſemper licet. Sic Muratori Diploma Hugonis & Lotharii, Italiæ regum, ex charta pergamena; Puricellius vero ex piſcium corio eſſe putabat; ſic Originale quoddam in Biblioth. Cæſarea Vindobonenſi ex cortice àrboris credebatur a Lambeccio, ex papyro Ægyptiaca ab aliis.

Origo Chartæ noſtræ vulgaris, quæ ex reliquiis linteorum conficitur, incerta eſt. Mabillonius ex loco quodam Petri Venerabilis nititur oſtendere, eam jam Sæc. XII notam fuiſſe; Montfaucon plane jam ad Sæc. IX, Ludwig vero ad medium Sæcul. XIV refert. Verum hodie eruditorum conſenſu deſinitum eſt: inventionem huius chartæ Sæc. XIII, uſum autem eiusdem frequentiorem Sæc. XIV; adſcribendum eſſe

Chartam indubitate linteam ab A. 1239 approbavit Academia Göttingenſis. Eadem Academia & Clar. Vir Meermannus præmiis etiam Eruditos ad diſcutiendam hanc quæſtionem excitarunt.

Inſtrumenta ſcriptoria accomodata erant materiæ, in qua ſcribebatur. Hinc celtes in

saxis & metallis, *stilum* in tabulis cera obductis, *Calamos* ex arundine in effingendis præcipue majusculis litteris, ac tandem cygnorum, anserum &c. *pennas* in communibus scripturis Veteres adhibebant. Ad reliquam scriptoriam supellectilem pertinent regula, cujus ductus adhuc in quibusdam Diplom. apparent, circinus, forfex, scalpellum, pumex, spongia, atramentarium, theca tam arenaria quam scriptoria.

Stilus ex una parte acutus ad scribendum, ex altera planus ad delendam denuo scripturam erat. Hinc vulgare illud: Stilum vertere. Non modicæ fuisse magnitudinis ex eo apparet, quia Vulnera etiam cum stilis inferebantur, ut Cæsar Cassio fecisse legitur.

Atramenti hæc fere sunt genera: Nigrum, rubrum, aureum, argenteum, cæruleum, viride ac denique mixtum. *Nigrum* tanquam commune ad scribenda Diplomata adhibebant Germani; *Rubri* usum, in Diplom. non solum Imperatorum Græcorum, sed etiam Regum Francorum ostendit Mabillonius, in primis nomina & monogrammata Impp. & subscriptiones nominaque Cancellariorum minio pingebantur. Ex *Auro* quoque Diplomata nonnunquam scripta fuisse, & quidem ad majorem regiæ majestatis splendorem declarandum, non paucis exemplis compertum habemus. *Argenteo* liquore exarata vix occurrunt teste Mabillonio. *Mixti colores*, rubri,

viri-

virides, cærulei, aurei non nisi litteris initialibus in codicibus manuscriptis, nec non etiam in Chartis privatis accomodati sunt.

Nigrum atramentum hodiernum nigredine multum superabat; dantur quædam Documenta 7 vel 800 annorum magis nigra, quam recentia interdum vix 30 annorum. Ex debilitate vero atramenti nequaquam iusta in Diplomata cadit suspicio. Rubri tres sunt species: Cinnabaris, minium, purpura.

Baronius tradit: Diploma Ottonis M. quo ecclesiæ Romanæ jura confirmata dicuntur, aureis litteris scriptum esse, quamvis illud suspectæ esse fidei ostendat Conringius, luculentius illud probatur ex Diplomate Henrici II, quod Meinwerco Paderbornensi Episcopo An. 1014 concessit, & Conradi III privilegio Corbeiensibus dato A. 1147, quod aureis litteris membranæ purpureæ inscriptum esse Heineccius testatur. Aliud adhuc Exemplum aureo liquore exarati Diplomatis habet Leuckfeld in antiq. Poeld. Observandum hic: sæpe Diplomata & Bullas, aureas dici, non tam ob scripturam auream, sed ob auream Bullam, quæ iis appendet, id quod vel exemplo aureæ Bullæ Caroli IV, legis imperii fundamentalis, satis apparet.

CAPUT II.

Grammatologia seu Doctrina Litterarum.

Litterarum figuras *Thauutus* seu *Thoït*, Græcorum *Hermes*, Latinorum *Mercurius*,

in Phœnicia natus educatusque, primus invenisse dicitur. Jure igitur optimo *Phœnices* pro litterarum inventoribus sunt habendi. Ex historia migrationis litterarum, & ex antiquissimis, quæ exstant, inscriptionibus, ceterisque rerum gestarum monumentis patet, omnium populorum litteras, si originem spectes, eadem, aut simillima certe forma fuisse, totumque earum, quod nunc cernitur discrimen, partim tempori, partim populorum ingenio, gustui, & id genus aliis causis esse tribuendum.

Taautus, quum rerum suarum sedem e Phænicia in *Ægyptum* transtulisset, litteras a se repertas cum Ægyptiis communicavit. Ex his terris litteræ sensim sensimque in *Syriam*, *Arabiam*, *Chaldæam* & *Æthiopiam* migrarunt. *Moyses*, omni Ægyptiorum sapientia eruditus, eas suos Gentiles docuit. Ab Ægyptiis, quorum Coloniæ in *Indiam* usque ac in *Sinarum* regiones penetrarunt, litterarum beneficium ad has quoque gentes propagatum est. Ex Asia eas *Pelasgi* in insulas maris Ægæi, in *Atticam* reliquamque *Græciam* ac Peloponnesum intulerunt. Iidem Pelasgi eas *Tuscis*, Tusci *Latinis*, Latini denique *Romanis*, tradiderunt. In *Galliam* litteræ a Phocæensibus, in *Germaniam* a Romanis translatæ creduntur.

Tria scriptionum sunt genera. Una earum est *orbicularis*, altera *perpendicularis*, tertia denique *horizontalis*. Ac in *orbem* quidem scripturam duxerunt populi Septemtrionales, idque hodiedum fit in sigillis, nummis, gemmis.

mis. *Perpendicularis* duo porro genera ſunt; alii enim populi *a ſummo in imum*, ut Sinenſes, Japonenſes ac Tartari ſcribunt; alii contra *ab imo ad ſummum* verſus ducunt, quæ conſuetudo adhuc apud incolas inſularum Philippicarum viget. *Horizontalis* quoque ſcripturæ genus duplex eſt; unum ſcilicet eorum, qui a *Dextra ſiniſtrorſum*, alterum eorum, qui a *Siniſtra dextrorſum* ſcripſerunt, & ex parte nunc quoque ſcribunt. Ac prius quidem ſcriptionis genus apud Phœnices, Aegyptios, Hebræos, aliosque Orientalis populos, item apud Græcos ac Hetruſcos veteres uſitatum fuit. Poſterius vero, quod recentius quidem illo priori eſt, introductum tamen jam quingentis ſexaginta amplius annis ante Chriſtum natum, adoptarunt deinde Græci, item Romani, a quibus id Galli, Germani, ceteræque Europæ cultioris nationes acceperant.

Cum diplomata *latinis* potiſſimum *litteris* ſint ſcripta, earum præcipue hic habenda eſt ratio, ita tamen, ut ex earum Oeconomia reliquarum omnium litterarum geneſis facile intelligi poſſit. Dividuntur igitur illæ I in *Capitales* & *Unciales*, hæ a prioribus peculiari tantum forma differunt, quippe, quæ rotunda in uncialibus, quadrata vel angulata in capitalibus eſt. Litteræ Capitales & Unciales uno *majuſcularum* nomine comprehendi poſſunt, a quibus *minuſculæ* non

 ma-

magnitudine tantum, verum etiam ductuum situ, nexu & forma discrepant. Minuscularum iterum aliæ *solitariæ* seu *minutæ* sunt, aliæ *unitæ* seu *cursivæ*. Illæ cum hodiernis typographorum litteris minusculis conveniunt, hæ ductibus nonnullis coniunctionem seu unionem adiuvantibus distinctæ sunt.

Falso creditur *Romanos veteres* non nisi *litteris capitalibus* usos fuisse, opinio hæc necessitate & multum & celeriter scribendi refellitur, quod majusculis litteris fieri nequaquam potuisset. Etiam in Diplomatibus *Capitales* solæ nunquam dominantur, sed nomen tantum Principis & subscriptiones in *Merovingicis* exprimunt, in *Carolingicis* vero & *Germanicis* primum semper versum integrum occupant, & interdum etiam ad ad tertiam lineam extenduntur. Sunt hæ litteræ maiusculæ teneris, acutis, pressim coacervatis, & in longum diductis apicibus effictæ. In *francicis* diplomatibus ut plurimum *directæ* reperiuntur, in *germanicis* vero nonnihil sunt *inflexæ* & superius crispatæ. Scriptura, quæ huiusmodi crispatis litteris constat, *tremula* vocatur. Usus eiusdem in Germania usque ad Sæc. XIV continuatus est, nisi quod inde a medio Sæc. XII. subscriptiones mox litteris longioribus, mox minutis exaratæ fuerint.

Ex his Epochis præcipua scripturarum genera sunt exorta, suntque sequentia: *I Scriptura Merovingica*, barbara, sinuosis litterarum ductibus deformata, & miris flexibus distorta, ideoque lectu difficillima; orta hæc erat ex Romana veteri, dominabatur in Gallia, & in Germania, duravitque a Sæc. V usque ad tempora Pipini Regis circ. A. 752 *II Carolingica*, itidem orta ex Romana veteri

ad

ad cuius priſtinam elegantiam eam Pipinus, Carolus M. & Ludovicus Pius emendari juſſerunt. Dominata eſt non tantum in Gallia, verum etiam in reliquis terris Caroli M. imperio ſubjectis, in Germania præſertim, & in aliis Europæ partibus, duravit ad Sæc. uſque XI. *III Capetingica* ex Carolingica orta, ad cuius formam, quæ ſub ultimis Caroli M. Succeſſoribus fere interiit, Hugo Capetus eam emendari curavit; dominata eſt in Italia, introducta deinde etiam in Angliam & Hiſpaniam, duravit a Sæc. X uſque ad Sæc. XIII *IIII Romana corruptiſſima* ſeu *Neogothica*, item *monachalis* vel potius *ſcholaſtica*; orta eſt ex ſcriptura Romano-barbara ſeu Teutonica, multifarie ad barbari ſæc. guſtum corrupta; dominata eſt in tota fere Europa, & duravit a Sæc. XIII uſque ad Sæc. XV *V Scriptura* denique *Romana renovata;* orta eſt ex veteri Romana, ad cuius elegantiam artium optimarum inſtauratores eam caſtigarunt; dominatur in omnibus Europæ terris, ubi latine ſcribitur, & durat inde a Sæc. XV & XVI.

C a p u t III.

De Ortographia Diplomatica.

Antiquiſſima quæque Diplomata, *latina lingua* conſcripta ſunt, & a Sæculo primo XIII

Germanica in publicis monumentis usurpari cæpit.

Sunt quidem, qui putant a *Rudolphi Habspurgici* temporibus non nisi germanica lingua scripta diplomata prodiisse, probantque illud inde, quod Rex ille primus A. 1274 edicto sanxerit: ut in posterum principum mandata, Edicta & Privilegia in teutonica lingua ederentur; sed falsum id esse inde probatur, quod incertum sit, an talis Constitutio a Rudolpho publicata unquam fuerit, quod etiam jam ante Rudolphum germanica Diplomata exstiterint, & quod post illum plurima etiam latina publicata fuerint, quod vel maxime patet ex *aurea Bulla*, cuius authenticum latino sermone conscriptum est.

Etsi vero *vernacula* tandem lingua in Diplom. adhiberetur, illa ipsa tamen litteris latinis in Autographo exarata sunt. Testatur hoc ipsa Rudolphi Habspurgici constitutio; quæ priscis latinis litteris scripta fuit. Jam igitur præcipue inquirendum est, quæ huius Linguæ Ortographia in publicis Imperatorum Regumque scriptis fuerit; & qua ratione sæculorum decursu fuerit immutata.

Fuerat hæc in Diplom. & varia & vitiosissima. Tanto magis enim recte scribendi leges insuper habitæ sunt, quod recti sermonis in diplomatis scribendis nulla fere ratio haberetur. Prodest autem plurimum ad integritatem diplomatum æstimandam ortographiæ cognitio; quæ omni ferme sæculo aliam formam induit.

Vitia Ortographica, quæ in Diplomatibus occurrunt, fiunt vel *Adjectione*, vel *Detractione* vel *Permutatione*. Per

Per adjectionem in Diplom. primæ & secundæ stirpis Francicæ scriptum legitur *Chlothacarius*, *Hludowuicus*, *Chuonradus* pro *Lotharius*, *Ludovicus*, *Conradus*, item *Æcclesia*, *præsbyter*, *impræssione*, pro *ecclesia*, *presbyter*, *impressione*.

Per detractionem vulgo, ubi littera geminanda esset, omittitur; sic scribitur *reicit*, *anuli*, *poplo*, *Inditione*, *dinoscitur* loco: rejicit, annuli, populo, Indictione, dignoscitur.

Per Permutationem mutando præcipue vocales in alias v. g. *Hildebaldus* pro Hildiboldus, *Reginoldus* pro Reginaldus, *Arnoldus*, pro Arnaldus, *cognuscitur* pro cognoscitur

Præterea harum præcipue Litterarum, nempe ae, h, i, u, w & y habenda est ratio.

Ae tam in francicis, quam in germanicis diplomatibus non litteris in unam conflatis per æ, sed aut separatis ae, aut per e simplex scriptum reperitur. Ultimum quidem jam in fine IX Sæc. occurrit, XII vero in communi usu habetur, & ad Saec. usque XVI. durat.

Littera H vocibus præfigitur & immiscetur, quæ illam plane respuunt, v. g. *hostium*, *heremita*, *habundare*; sæpe quoque omittitur, ubi minime oportebat v. g. *Ortus* pro hortus, *actenus* pro hactenus

Littera i in antiquis diplom. nunquam puncto superne notatur, dein vero, cum ob similem cum u, m, & n formam facili dignosci posset, accentu acuto, & dein puncto insigniri cæpit.

Littera *u*, cui accentus acutus unus vel duo etiam impositi sunt, scripturam prodit, inde ab exeunte Saec. X usque ad initium Sæc. XII confectam. Saec. XII & XIII *u* Circello interdum notatum (ů) in diplom. observatur; originem ac durationem huius consuetudinis nondum certo defini-

finire fas eſt; probabile vero eſt, ſemicircellum in vernacula noſtra ſcriptura litteræ u inſcribi ſolitum, inde ortum eſſe.

U Duplex unico ductu W junctum jam Saec. IX ſæpius vero XII occurrit, itemque contractio particulæ et, tam ſeparatim in & quam in compoſitione aliarum vocum ut in r&in&.

Similitudo y & u caudati fecit, ut y inde a Sæc. V & VI punctis uno, vel duobus in utroque apice notaretur. Puncta hæc litteræ y ſuperſcripta Sæc. VIII vel IX facta ſunt uſitatiora. Licet vero hæc littera adhuc Sæc. XV punctis notata deprehendatur, conſtat tamen etiam nullo non tempore reperiri ſcripturas, in quibus y punctis prorſus careat.

Accentus in diplom. rariſſime apparent, neque fere aliter, niſi ad compendia ſcripturæ indicanda, ut áſis ſéla pro aſſis ſella & ad interpungendam Orationem adhibita cernuntur.

CAPUT IV.

Stigmeologia ſeu Doctrina Interpunctionum.

Interpungendi rationem jam apud veteres uſitatam fuiſſe diſcimus ex Ariſtotele. Per eam juſtus tandem vocabulis ſenſus redditur. Sunt vero tria potiſſimum ſignorum genera, quibus ſcripturam diſtinguimus. : *Punctum*, *Comma* ſeu inciſum, & *Colon*.

Punctum omnium antiquiſſimum eſt, ab Ariſtophane Grammatico Byzantino, qui 200 annis an-

ante Christi nativitatem floruit, inventum. Sustinuit hoc olim omnium interpunctionum vicem secundum triplicem situm, quo litteris additum fuit. Ad summam litteræ partem positum puncti perfecti vicem obibat; in medio, mediæ notæ; in fine, commatis. Sed librarii veteres ab hoc consueto puncti situ sæpe recesserunt; formamque puncti nimium quantum variarunt. Mox unum, duo, mox tria etiam & quatuor puncta in modum perpendiculi, vel trianguli, vel quadrati posita deprehenduntur, suntque alia quæ rosularum, stellularum, crucium, Rhomborum ac ramusculorum & litterarum græcarum præcipue, aut linearum tam transversarum quam obliquarum formam habent. *Comma* etsi puncto recentius est, tamen jam Sæc. V & VI in libris tam græcis, quam latinis invenitur, mox sub hodierna, mox sub alia forma, quamquam plerumque in puncti locum sit substitutum, tam ad distinguendas sententias perfectas, quam ad subdistinctiones indicandas. Sic etiam *Cola*, quæ a quibusdam Diplomaticis adferuntur, majori jure punctis annumerantur.

Interpunctionum signa præcipue ratione scripturarum, quibus adduntur, examinanda sunt. In *monumentis publicis* ac *nummis* voces usque ad Sæc. V separatim positæ, & singulæ etiam, præter finales, punctis plerumque, inprimis post scripturæ compendia seu abbreviaturas interstinctæ sunt. In *libris manu exaratis* neque Græci, neque Latini veteres distinxerunt orationem, sed continua verborum serie sententiam perfecerunt, nisi quod novam sententiam a novo versu sæpius auspi-

carentur, vel littera quadam majori & exstantiori, vel spatio quodam vacuo inter voces relicto indicarent, tandem ad tempora Caroli M. opera Alcuini & Pauli Warnefridi punctorum distinctiones & subdistinctiones denuo restitutae sunt. III In *Diplomatibus* vetustissimis omnes sententiae continua vocum serie scripta sunt, nulla hic separatio, nullum punctum; nisi quod primus versus, Datum & subscriptio regia, itemque abbreviaturae spatio quodam vacuo plerumque, notae autem chronicae punctis interdum terminentur. Sub *Pipino* voces in medio Diplomatum contextu primum spatiis vacuis distingui caeptae sunt, sed tam parce, ut adhuc A. 931 in scriptura longiori Diplomatum separatio vocum singularum vix sentiatur, licet contextus ipse, id est scriptura ordinaria seu minuscula voces separatim scriptas habeat; sed inde ab A. 940 vocum separatio constans ac perpetua esse caepit. Punctorum usus in Diplomata serius, quam in libros manu exaratos introductus est. Sub *Merovingicis* regibus diplomata punctis carent, nisi quod notae Chronicae, ut dictum, punctis interdum finiantur. *Pipini* Diplomata inde ab A. 767 habent quidem puncta sed paucissima. Neque plura fere in *Carolidarum* diplomatibus apparent; punctorum certe ratio neque constans fuit, neque uniformis. Ineunte Saec. X crebriora, quamquam sub formis admo-

dum

dum diversis esse cæperunt; in *Conradinis* dein reliquisque germanicis Diplom. in scriptura tam majori quam minori sæpius adparent. *Incisa* vero, *Cola*, cæteraque distinctionis signa aut penitus exulant e Diplom. aut licet non plane veteribus incognita fuerint, rarissime tamen occurrunt. Hodiernam interpungendi rationem Manutiis debemus.

Plura de Origine, progressu & differentiis interpunctionum inveniuntur in Chron. Gottw. Godefr. Bessel & in Waltheri Lexico Diplomatico.

CAPUT V.

Brachygraphia seu Doctrina Abbreviaturarum.

Brachygraphia est ars compendiarias scribendi notas, quas vulgo Abbreviaturas vocamus, ipsasque siglas & Tironis litterarum ductus explicandi, & expedite legendi. Adhibitæ hæ sunt jam ab antiquissimis temporibus, & Romanis æque ac Græcis notæ, eo potissimum consilio, ut angustius spatium longiorem sententiam capere posset

Cum hæc scripturæ compendia & lectionem valde difficilem reddant, & eruditos etiam viros, eos præsertim, qui hac in arte non satis exercitati fuerant, in gravissimos ridiculosque errores induxerint, rei diplom. studiosus bene prudenterque

que aget, si in enodandis his ænigmatis omnem operam studiumque adhibeat. Proderunt ipsi hac in re plurimum Waltheri Lexicon Diplomaticum, & Baringii clavis Diplomatica.

De *libris* latinorum *manuscriptis* generatim tenendum est, eos, quo antiquiores sunt, eo paucioribus abbreviaturis impeditos esse. Augetur vero sensim earum numerus inde a Sæc. VII, ita ut Sæc. XI vix ullus versus reperiatur, in quo non plures abbreviaturæ occurrant, lectionemque nimis intricatam reddant. Durauit hæc compendiose scribendi ratio usque ad incunabula artis Typographicæ, adeo ut etiam in primos libros typis exaratos multæ abbreviaturæ irrepserint. Eodem fere modo abbreviaturarum usus in *Diplomatibus* ab exiguo numero ad majorem decursu sæculorum ascendit, & generatim hæc de illis regula tenenda est: Diplomata, quo antiquiora sunt, eo pauciores abbreviaturas habent. Itaque sub *Merovingicis* ac *Carolingicis* Regibus atque Imperatoribus abbreviaturarum numerus exiguus, a Sæc. X & XI major, & maximus denique a temporibus Sæc. XIII fuit. Quæ quidem causa præcipua est, cur Diplomata posteriorum temporum plerumque difficiliora explicatu sint, quam prioris ævi.

Tria potissimum Abbreviaturarum sunt genera I *Abbreviaturæ proprie dictæ* II *Siglæ* tam verbales, quam numerales III *Notæ Tironis.* In

In *Abbreviaturis* proprie dictis litteræ quædam mox primordiales, mox mediæ, mox finales indiscriminatim omittuntur, ita tamen ut omissionis signum aliquod litteris residuis adjungatur, quo quidem signo Abbreviaturæ a siglis potissimum discerni possunt. Signa autem hæc omissionis aut lineolis transversis, perpendicularibus, & circumflexis, aut interpunctionibus, aut etiam litteris, notis numeralibus, & aliis arbitrariis ductibus fiunt.

Linearum hæc sunt signa — ' ⁒ ; puncta vel etiam cola; b. b; adjuncta significant *bus* q. q; *que*; litteræ superius scriptæ vulgo ex medio abbreviatæ vocis sumuntur; c conversum seu 9 *con* significat v. g. 9tinget, continget; ex numeris 2, 3, 4, 7, 8 tanquam signa Abbreviationis adhibentur, & ad ductus arbitrarios pertinent n. Epc. Impr. pps. ee. nr &c. pro: *non*, *Episcopus*, *Imperator*, *Præpositus*, *esse*, *noster* &c.

Sigla seu *Siglum* est compendium scripturæ integram vocem aliquam vel syllabam etiam, una vel pluribus litteris initialibus exprimens v. g. S. P. D. salutem plurimam dicit.

Siglarum usus jam antiquissimis temporibus, & jadeo multis sæculis ante Christum natum, obtinuit. Græci eas sine dubio ab Orientis populis & Romani a Græcis acceperunt. Earum ambiguitates & jænigmata multos, incautos æque ac circumspectos, & olim & nostra aetate, in mille errores induxerunt. Hinc Imperator Justinianus earum usum lege peculiari prohibuit, & falsitatis adeo pœnam adversus eos constituit, qui in p ste-

rum

rum legum codices per siglarum obscuritates ausi fuerint conscribere. Neque tamen ullum est scripturæ genus, sive publicum sive privatum, in quod hæc Aenigmati non irrepserint. *Siglæ Diplomaticæ* indicandis præcipue nominibus propriis adhibitæ sunt, quæ consuetudo potissimum a Sæc. IX usque ad Sæc. XVI durabat, ac varie errandi locum incautis aperiebat.

Sunt autem duo potissimum genera Siglarum, unum *Verbalium*, alterum *Numeralium*, illæ voces quascunque, hæ numeros tantum exprimunt.

In siglis *verbalibus* ratione numeri geminantur, aut etiam triplicantur litteræ, v. g. COSS. Consules CAESS. AVGG. Cæsares Augusti duo CAESSS. AVGGG. Cæsares Augusti tres VV. SS. Viri Sacerdotes duo, DDD NNN. FFF. Domini nostri fratres tres. Ad indicandum genus femininum litteræ invertuntur v g. W Marca OT Caja liberta.

Siglæ *numerales* in veteres *Romanorum* & in recentiores seu *arabicas* dividuntur. Siglæ *Romanorum* sunt septem sequentes litteræ: I. V. X. L. C. D. M. a digitorum forma verosimiliter desumtæ, quamvis D per IↃ, M per CIↃ rectius exprimi debere quibusdam videatur. Interdum etiam numerus millenarius ad similitudinem litteræ X cubantis ⋈ exaratus invenitur, aut more græcorum simplicibus notis numeralibus lineola adjuncta cernitur, per quam ad dignitatem nu-

me-

meri millenarii evehebantur, ut $\overline{I}$ pro 1000 $\overline{X}$ pro 10000 $\overline{C}$ pro 100000

Hæ Romanorum notæ numerales in codicibus antiquis pariter atque Diplomatibus ſolæ uſque ad Sæc. XIII dominatæ ſunt: niſi quod numeri interdum quoque verbis diſertis fuerint denotati, g. v. Milleſimo XLVIII pro 1048 M°CCXXX quarto pro 1234.

Notæ numerales recentiores ſeu *arabicæ* facilitate ſua ac forma compendioſa, commodaque ad computandum, antiquiores omnes hujus generis notas facile ſuperant. De earum tam origine quam propagatione variæ ſunt ac diſcrepantes Eruditorum ſententiæ. Alii eas ab Indis, alii a Carthaginienſibus, rurſus alii ab Arabibus ſeu Saracenis ad nos transiiſſe exiſtimant. *Huetius* eas pro litteris græcis habuit, quas Arabes, Græcorum diſcipuli, progreſſu temporis varie corruperunt. Vulgaris tamen ac communis fere opinio eſt: Hiſpanos omnium Chriſtianorum primos notas numerales a Mauris, Mauros ab Arabibus, & hos denique ab Indis accepiſſe.

Gatterer exiſtimat: Ziphras noſtras a litteris primordialibus vocum numeralium, vel a litteris Alphabeti cujusdam Orientalis Ægyptiaci præcipue aut Phænicii ortum duxiſſe, ut ita *Tautus* æque Ziphrarum ac litterarum eſſet Author, præſertim cum Plato etiam, *Taautum* numeros & computationem inveniſſe, tradat, atque ita *Phænices*, quorum ſtudia arithmetica nemo unquam

in

in dubium vocavit, primi omnium populorum ut litteris scripserunt, ita quoque per littteras, hoc est, per Ziphras Arabicas computarunt.

Ziphræ hæ ineunte Sæc. XIII ab Europæis usurpari cæperunt, ac primo quidem in libris tantum Mathematicorum, deinde in Annalibus, in Calendariis, aliisque libris tam manuscriptis, quam impressis. In Diplomatibus ante Sæc. XIV & XV rarissimæ sunt, postea frequentius tum in latinis, tum in vernaculis inveniuntur, ita tamen, ut numerorum romanorum usus propterea nequaquam cesset, dominari demum inde a medio Sæc. XVII ubique cæperunt.

Notæ hæ numerales in Diplom. pro diversitate temporum forma admodum variant, ita ut, qui eas sibi non familiares reddiderit, facile unam cum altera confundere, adeoque graviter errare possit. Consul: Waltherus in Lex. Diplom. & Auctores novi sistematis Diplomatici.

Notæ Tironis a Ciceronis Liberto Tullio Tirone ita dictæ, sunt figuræ unico vel pluribus signis litteralibus, vel arbitrariis etiam, vocem unicam vel plures exprimentes:

Etsi notæ non tam antiquæ sint quam siglæ; const t tamen illas inter inventa vetustissima esse referendas. Apud Græcos *Xenophon* eas aut invenit, aut primus iis fuit usus; Romani eas sine dubio a Græcis acceperunt, & in publicis privatisque rebus scribendis, præsertim inde a tempore Consulatus Ciceronis, creberrime adhibuerunt: Quidquid ad poqulum pro rostris, quidquid in judi-

diciis dictum est, id omne notis suis Notarii vel alii periti homines excipiebant. Testamenta quoque, aliaque acta, tam publica quam privata, item Acta Martyrum ejusmodi notis fuerunt delineata, antequam studiosius elegantiusque describerentur. Per sequentium etiam sæculorum decursum hæc scriptura compendiosa amatores quam plurimos habuit, donec ejus auctoritas sub exitum Sæc. IX in Gallia, & Sæc. X exeunte in Germania sensim minueretur.

Notarum Tironis aliæ ex pluribus figuris seorsim positis constant, aliæ una tantum figura contentæ sunt, fiuntque aut ex litteris cursivis, aut monogrammaticis, aut abbreviaturis proprie dictis. In Diplom. magnus illarum numerus invenitur; interdum integra, præcipue prima eorum delineatio, seu conceptio, hisce notis exarata sunt, interdum mox plures, mox pauciores, vel ad marginem vel intra versus etiam positas, tanquam flores sparsos habent; potissimum apparent in subscriptionibus Cancellariorum & Episcoporum, qui posteriores vulgo verba: *indignus subscripsi* & sedes suas episcopales notis Tironis expresserunt.

Omnes hæ scripturæ tanquam litteraria ænigmata consideranda sunt, quorum sensum explicare longe est difficillimum. Illarum numerus secundum Gruterum ad plus quam viginti sex millia ascendit; Carpentierius vero bis mille notas ordine alphabetico dispositas explicatasque nobis exhibuit. *Exempla* harum notarum in prælectionibus dabuntur.

SECTIO II.

DE SEMIOTICA, SEU SECUNDA THEORICÆ DIPLOMATICÆ PARTE.

Semiotica in exponendis ſignis, quæ præter uſitatum ſcripturæ genus Diplomatibus adjuncta cernuntur, verſatur. Sunt hæc præcipua: *Chriſmon*, *Cancellariorum* & *Notariorum ſubſcriptiones*, *Symbola inveſtituræ*, *Cruces*, *Monogrammata* & *ſigilla*.

Atque hinc Semiotica ſex ſequentibus partibus nititur: I Chriſmologia II Semiotica notariali III Symbolica, IIII Staurologia, V Monogrammatologia VI Sphragiſtica.

Caput I.

De Chriſmologia.

Chriſmon, ſeu Chriſmus eſt ſignum quoddam pietatis chriſtianæ ac ſigillatim invocationis divinæ, aut etiam jurisjurandi taciti, quod in fronte Diplomatum apparet.

Ori-

Origo Chrismorum ab antiquissimis temporibus, a quibus nobis Diplomata supersunt, & a primæ Merovingicæ stirpis regibus repetenda est. Durabant ad Ottonem usque IV Imp. hoc est a Sæc. V. usque ad Sæc. XIII. In Gallia illorum usus Ludovici VI Crassi tempore, hoc est ineunte Sæc. XII negligi cæptus est. Adhibebantur tam in codicibus manu exaratis, quam in Diplom non s lum Imperatorum ac Regum, verum etiam Pontificum, Principum & Episcoporum.

Figura Chrismi pro diuersitate temporis, imo eodem etiam tempore varia fuit. Sub *M rovingicis* regibus & sub *Caroli* successoribus litteram majusculam I refert, cui C majusculum, vel simplex, vel variis ductibus exornatum, aut aliæ etiam litteræ, præcipue N. X. D. S. P &c. innexæ vel insertæ sunt. Sub Caroli M. posteris in siglis modo dictis littera C majuscula dominari incipit. Sub Ottone III & Henrico II, hoc est in confinio Sæc. X & XI, littera C variis ductibus insignita, diversisque formis vestita sola restat, ac reliquas omnes siglas excludit. *Vid. Tab.*

Præter hanc consuetam Chrismi formam cruces etiam varii generis, itemque Monogramma Christianum, vel simpliciter positum, vel adjunctis etiam litteris græcis *Alpha* & *Omega* eodem sensu adhibita sunt.

Per siglas Chrismi invocationem divini numinis designari ex accurato insertarum litterarum examine patet. I. C. n. I. D. n., I. N. I. X., I. n. C. D. n., I. n. C. S., I. n. P. F. S., I.

n. S. I. T. nihil aliud denotant quam : *In Christi nomine*, *In Dei nomine*, *In nomine Jesu Christi*, *In nomine Christi Domini nostri*, *In nomine Christi Salvatoris*, *In nomine Patris*, *Filii*, *Spiritus*, *In nomine Sanctæ individuæ Trinitatis* &c.

Probant hoc & Chrismi figuræ, & formulæ religiosæ, quæ in quibusdam Diplom Chrismi loco di ertis verbis usurpatæ sunt. Errat igitur Baringius, qui, cum inter Chrismi siglas littera C. potissimum emineat, credidit, hac littera vocem *Caput* sive Capitulum indicari, ita ut idem esset, ac si diceretur, eo loco, quo Chrismus esset positus, initium alicujus diplomatis vel aliarum etiam scripturarum esse.

CAPUT II.

De Semiotica Notariali.

Semiotica Notarialis tum in explicandis signis Notariorum Veterum, seu Cancellariorum, tum Notariorum recentiorum versatur.

Notariorum diversa fuerunt nomina, jam *Referendarii*, jam *Cancellarii* aut etiam *Capellani* dicebantur. Erant proprie scribæ seu Secretarii Principis, qui chartis tam publicis quam privatis conscribendis adhibebantur, & non nisi illustribus & summo loco natis, Episcopis præcipue & Abbatibus, ad hoc munus aditus patebat.

No-

Notarii nomen a *notis* compendiariis, quibus ſcripta excipiebant, ſortiti ſunt; *Referendarii* dicti ſunt, quod regibus ſupplices libellos *referrent*, *Cancellarii* a cancellis, inter quos ſe continebant, ut populus, cui aures dabant, ab ingreſſu prohiberetur, *Capellan* denique a *Capa* ſeu *Capella* certa veſtis ſacræ ſpecie, quæ in ſacris locis, aut regiis palatiis, una cum principum decretis ſumma religione cuſtodiebatur.

Qui primum hos inter Notarios locum tenebat, *Archicancellarius*, ac dein ſub Caroli M. Succeſſoribus etiam *Archicapellanus* vel *Apocriſiarius* dictus eſt. Hujus præcipue officium erat recenſere Diplomata, iisque ſubſcribere. In imperio germanico ſplendido Archicancellarii titulo utuntur tres Electores eccleſiaſtici *Moguntinus*, *Colonienſis*, & *Trevirenſis*, quos omnes Imperatorum Diplomatibus ſubſcripſiſſe novimus, ſed ita, ut *Moguntinus* antiſtes per *Germaniam*, *Colonienſis* per *Italiam*, & *Trevirenſis* per *Galliam* & regnum Arelatenſe Archicancellarii munere fungerentur. Quando his certis finibus adſtricti fuerint, certo definire difficile eſt.

Archicancellarii dignitatem *Moguntinæ* ſedi Ottone M. imperante ab A. 968 perpetuo jure quæſitam eſſe, exiſtimant plurimi Eruditi; nam ex quo Wilhelmus Ottonis M. filius Moguntinam eccleſiam rexit, haud interrupta ſerie Moguntinos Præſules Archicancellarii officio præfuiſſe conſtat. A tempore Henrici III Diplomata Imperatorum in Italia confecta ſolos *Colonienſes* Archiepiſcopos Piligrinum, Hermannum, Annonem

Archicancellarios memorant, & Leo IX Pontif. Rom. 1049 Hermannum perpetuum ecclesiæ Romanæ Archicancellarium creavit, hinc non dubitandum est, quin hac ætate Italiæ Archicancellarii dignitas Coloniensi Ecclesiæ cesserit, et Imperatores exemplum Pontificis secuti fuerint. Paulo serius Archicancellariatum sibi vindicarunt Archiepiscopi *Trevirenses*, siquidem ante interregnum incerta, & tantum non obscura eius est memoria. Sane Sæc. XI penes Trevirenses Archicancellarii per Galliam munus nondum fuisse oportet, quia Henrici II, Conradi II, Henrici III & IV Diplomata de rebus ad Diœcesim Trevirensem spectantibus condita, Moguntini nomine recognita sunt, & Arelatensis regni Archicancellariatum Fridericus II Imperator in Viennensem Archiepiscopum transtulit A. 1157. Itaque Sæc. demum XIII Archicancellarii dignitas Trevirensi obtigisse videtur, licet in Diplomatibus eius mentio non fiat, quia Boemundo II hoc ipso ævo, tam Galliæ quam Arelatensis regni Archicancellarii titulus a coævis scriptoribus tribuitur, & ex eo tempore continuatus & ab Imperatoribus confirmatus est.

Licet vero horum Archicancellariorum officium esset, diplomata recensere, iisque subscribere, id tamen rarissime præstitere; sed *Cancellariis* hoc commiserunt, ut ex formula in Diplom. ubique occurrente patet, *Notarius ad Vicem Archicapellani* vel: *Cancellarius ad vicem Archicancellarii.* Archicancellarii equidem, si in aula Imperatoria non præsentes, aut aliis negotiis distenti essent, vices suas delegare solebant aliis, qui loco illo-

illorum rebus expediendis præessent, & subscribendi officio fungerentur.

Usitatum hoc iam fuit circa confinia Sæc. VII & VIII, ut Diplomata Childeberti & Caroli M. apud Mabillon. ostendunt; ex quibus constat satis antiquos esse *Vicecancellarios*, id est Vicarios Archicancellariorum, qui horum partes in subscribendis aut recognoscendis diplom. tuebantur. Nomen Vicecancellarii recentius est, & a Sigismundi Imper. tempore primum auditum. At tempore Sigismundi formula: *ad Vicem Archicancellarii* tam longo usu probata, desiit, & in subscriptionibus diplomatum, Vicecancellarii nomen nulla amplius Archicancellarii facta mentione tantum usurpari cæpit. Ipsa denique Vicecancellarii subscriptio non multo post omissa videtur, siquidem in Diplom. Friderici III. hæc formula reperitur: *ad Mandatum proprium Domini Imperatoris*, nulla Vicecancellarii facta mentione.

In his igitur Notariorum veterum signis quatuor potissimum consideranda sunt: I *Figura* II *Epochæ*, *III Locus* IIII *Significatio.*

I In *figura* signorum recognitionis tria occurrunt, quæ distingui a se invicem debent 1 *Circumductus* seu ambitus figuræ 2 *Area*, hoc est spatium interius, quod circumductus ipse ambit, seu includit, ac 3 *appendix*, id est ductus varii, qui circumductui & lateribus figuræ, sinistris præsertim, & interdum etiam culmini adiuncti cernuntur. *Circumductus* formatur ex littera S longiori, cujus apex spatiose ac dextrorsum quidem arcuatus est, interdum littera ſ cum littera t

longiori conjuncta cernitur. Constat hic circumductus ex lineis variis, tam rectis, quam curvis, quae aut *campanae*, aut *castelli*, aut *turris*, aut *cincinnorum* figuram referunt. *Area* potissimum crispatis lineis in plures cellulas divisa est, quae littera s saepius repetita, vel aliis litteris ex voce *subscripsi* desumtis, aut etiam notis tironianis impletae sunt. *Appendix* denique pariter lineis obliquis vel curvatis in plura Tabulata, innexis variis notis, divisa est, vel ex litteris quibusdam ad modum monogrammatis conjunctis constat. *Vid. Tab.*

Duae signorum recognitionis Epochae constituendae sunt, quarum *prior* ab antiquissimis Merovingicae stirpis temporibus usque ad Ottonem II, sive usque ad finem fere saeculi X excurrit. Atque toto hoc tempore signorum recognitionis usus constans ac perpetuus fuit. *Posterior* inde ab Ottone II ad Henricum V, qui A. 1125 obiit, computanda videtur, quo temporis spatio signa recognitionis in Diplomatibus mox omissa, mox posita sunt.

Locus signorum ordinarius fuit inter formulam recognitionis & sigillum, ac ita quidem, ut formula & signum recognitionis ope voculae & tanquam vinculo quodam mutuo conjuncta videantur, rarissime primo post sigilla apparent.

Inter-

Interdum *appendices* signorum recognitionis ita prolongatæ sunt, ut ultra sigillum ipsum extendantur, vel sigillum ambiant, vel ipsi etiam ceræ sigillorum inscriptæ sint.

Signis his Cancellariorum potissimum verba *signavi*, *subscripsi* vel *registravi* significari communis est eruditorum sententia; an vero reliqui, qui appositi cernuntur ductus, penitus otiosi, nihil significantes, & pro lubitu Notariorum tantum formati fuerint, an vero sub illis nomen Cancellarii lateat, ad modum monogrammatis expressum, Diplomaticorum ænigma est, quod, donec notarum Tironicarum significatio nobis innotuerit, solvi vix poterit.

Notarii recentiores ad exaranda signa sua, quæ vulgo *signeta Notariatus* appellantur, vel typarium quoddam, atramento intinctum, vel calamum seu pennam adhibere solent. In quibusdam illorum nullum nomen apparet; in aliis vero jam ipsis typariis vel siglis vel litteris sunt inscripta. Præter nomina sententias quoque interdum adjunctas cernimus, v. g. Pace quid est melius?

C A P U T III.

De Symbolica.

Investitura nihil aliud est, quam admissio in rei alicujus, muneris scilicet, prædii aut juris possessionem. Hæc non verbis tantum,

vel litteris scriptis; sed adhibitis etiam quibusdam *symbolis* fiebat, quæ cum re vendita, donata, concessa aliquid cognationis habebant. In exponendis hujusmodi investituræ symbolis *ars symbolica* versatur.

Summam fuisse *symbolorum* in estituræ auctoritatem ex eo patet, quia inter præcipua Diplomatum solemnia numerabantur, in quibus omnes gentes & barbaræ etiam summam fidem ac robur inesse voluerunt. Symbola hæc sigillorum & subscriptionum vim atque auctoritatem iis deplomatibus, quæ his præsidiis destituta sunt, largiuntur; ceteris vero documentis omnibus fidem majorem conciliant. Eorum jam ante Sæc. VII fit mentio, sæpius tamen inde a Sæc. IX recurrunt; ex hoc certe tempore ad fidem ipsis Diplom. faciendam tanquam sollemnia adhiberi cæpta sunt. In quibusdam regionibus, certisque munerum collationibus eorum usus adhucdum viget.

Quoniam Investitura *triplex* potissimum est, 1 Munerum tam sacrorum quam civilium 2 bonorum 3 Jurium: symbola etiam tripliciter dividuntur, ac quidem in symbola *munerum sacrorum*, quæ sunt annulus, mitra, pedum, claves ecclesiarum, & *munerum civilium*, ut gladius, vexillum, hasta, sceptrum, 2 *symbola bonorum*, cespes, herba & terra, Waso & ramus, baculus, festuca, cultelus, 3 *symbola jurium*, quæ secundum donationes, venditiones, cessiones, permutationes varia fuerunt, & cum rebus traditis, venditis, aut permutatis cognationem habebant.

Regno-

Regnorum potiſſimum ſymbola erant gladii, *Provinciarum* vexilla, *ducatuum* haſtæ vel ſceptra. Ad denotandam *agri* vel prædii inveſtituram Veteres vulgo ceſpitem, glebam ſeu Waſonem ex ipſo agro deſumtum in manus illius, cui donabatur, tradebant, quo ſymbolo fundi proprietas prorſus in eum translata innuebatur; ramus additus ſignificabat ei, quidquid in ſuperficie fundi erat ſatum, ut vites, arbores, ſegetes traditas quoque fuiſſe. Ad ſymbola præterea ſpectant aurei annuli, tanquam præcipua majorum dignitatum ſymbola, calices ſacri, canes venatici, chirothecæ, cornua, grana incenſi, lapides, liber Evangeliorum vel Miſſale, nummi, penna & calamarium, pilei & innumera alia.

In conferendis huiuſmodi inveſtituræ ſymbolis certi quidam *ritus* obſervabantur. Imponebantur plerumque aræ majori, aut, ut baculi & feſtucæ, in Gazophylacia Eccleſiarum conjiciebantur; cultri vulgo in conſpectu omnium complicabantur vel frangebantur, etiam antequam donatariis oblati vel altaribus impoſiti ſunt; nummi perforabantur, & æque ac annuli ipſis chartis adinſtar ſigillorum appendebantur, quid quod comæ etiam, ac capillorum e barba evulſorum certus numerus ſigillis adjungi ſolebant, Glebæ ac ceſpites non tantum altaribus impoſiti, ſed in templis etiam magno ſtudio cuſtoditi ac poſterorum oculis objecti ſunt.

In Inveſtituris per vexillum oblatis hoc præcipue ſolemne fuit: ut tot vexilla inveſtiendis traderentur, quod provinciæ, vel urbes, vel

feu-

feuda concessa sunt; baculis, cultris, aliisque symbolis, inscriptiones quædam sæpius additæ fuerunt; quae omnia summa deinde diligentia custodiebantur.

Caput IV.

De Staurologia.

Staurologia in explicandis omnis generis crucibus, quas christiana pietas ad conciliandam Diplomatibus auctoritatem jam ab antiquissimis temporibus introduxit, versatur.

Variæ in Diplom. crucium formæ occurrunt, *ordinariæ* sunt aliæ, aliæ *decussatæ* seu vulgo Andreanæ dictæ, aliæ denique ad modum stellularum efformatæ. Accesserunt his crucibus non raro aliæ res ad majorem ornatum, vel ad discrimen etiam indicandum, ut puncta, accentus, stellulæ, nec non lineæ diagonales, quibus extremitates jungebantur, ut rhombi speciem præseferant. Christiana antiquitas tanta illa colebat religione, ut, quemadmodum nihil se rite atque auspicato agere atque suscipere absque crucis signo existimabat, ita non facile quidquam scripsit, quod non signo hoc religioso velut muniret.

Pingebantur hæ cruces variis coloribus; *niger* tamen omnium erat usitatissimus; Imperatores tantum Constantinopolitani, nec non reges Neapolitani ac Siciliæ ex Normanorum gente oriundi aliique nonnulli principes *purpuraceum* adhibebant; Angli vero,

præ-

præſertim ante Normanorum dominationem non niſi *aureas* cruces Diplomatibus inſcribebant, quibus quidem tantam vim atque auctoritatem tribuebant, ut illæ cruces ipſorum ſigillorum vicem ſupplerent. Neque prætermittendum eſt hoc loco, quoſdam eouſque vel ſuperſtitionis vel impietatis progreſſos, ut atramentum, quod ad exarandas cruces & ſubſcriptiones adhibituri erant, vino conſecrato ſeu euchariſtico diluerent, cui quidem ſcribendi modo plus fidei roborisque ineſſe crediderunt.

Cruces æque ac Monogrammata & ſubſcriptiones triplici potiſſimum modo exaratæ ſunt, *penna* ſeu calamo, *lamina interraſili*, & *ſtampilla* ſeu typo anaglyptico; laminæ interraſiles ex auro aliove metallo, vel ex ebore etiam confectæ ſunt, atque ita perforatæ, ut hiatus litterarum aut crucium ſpeciem præſeferrent, per quos veluti ſulcos calamus ſeu penna ducebatur, ſtampillæ vero ita ſculptæ erant, ut figuræ ſuperficiem eminerent, quæ deinde atramento tinctæ ſunt, chartæque impreſſæ.

Cruces in Diplom. jam a Sæc. V, hoc eſt, ab iis inde temporibus, ex quibus omnium antiquiſſima diplomata nobis ſuperſunt, uſitatæ fuerant. Apparent non tantum in ſubſcriptionibus, ſed etiam in fronte Diplomatum, ante Datum, in ſigillis, in margine Chirographorum, ac denique in ipſis Chartariis

Signa crucis potissimum propterea subscriptionum loco introducta sunt, quia multi & principes & sacris ordinibus addicti scribendi artem non callebant, vel quia commoditati nimium studebant; vel fastu quodam ignobili inducti scribendi artem infra conditionem suam ac dignitatem esse credebant.

Addebantur Cruces subscriptionibus nunc ante, nunc post subscriptionum formulas, nunc utrimque simul, interdum etiam in mediis his formulis, plerumque vero post vocabulum *signum* collocatæ sunt; uno verbo crucibus hujus generis arbitrarius atque inconstans locus fuit. In sigillis quoque inscriptio plerumque a crucis signo incepit, quæ consuetudo ab antiquissimis temporibus usque ad Sæc. XIV duravit.

Non in fronte tantum epigraphes, sed in campo etiam sigillorum cruces varii generis apparent. Ineunte Sæc XIV ab hac consuetudine recedere paulatim cæperunt homines, ita quidem, ut nunc cruces prorsus omitterent, nunc rosas, stellulasve, & id genus alias res in eorum locum substituerent.

Caput V.

De Monogrammatologia.

Monogrammatologia est scientia Monogrammatum, quæ nihil aliud sunt, quam Chara-

racteres, ſingulas unius nominis vel plurium etiam litteras, vario ordine diſpoſitas, exprimentes.

Ipſa Monogrammatis vox in Diplom. raro occurrit, ſed aliis denotatur nominibus. Dicitur enim *Character nominis*, *regius character*, *ſigni character*, *regii nominis figura*, *manus propria*, *manus propriæ nota*, *manus ſignum*, & *ſignum* ſimpliciter, quod poſtremum monogr. ſynonymum omnium antiquiſſimum eſt, & quo perpetuo uti ſolent Notarii in formula Monogr. apponi ſolita.

Monogrammata ratione *formæ* in *Cruciformia*, *Quadriformia* & *Circularia*, ratione *Contentorum* in *Nominalia* & *Titularia* dividuntur.

Cruciformia ſunt, quorum in centro rhombus conſpicitur, omnes Vocales complectens, in ipſo nomine occurrentes, reliquis Conſonantibus in modum crucis in extremis linearum conſtitutis; *Quadriformia* ſunt, quæ littera fundamentali quadrata conſtant, cui reliquæ nominis titulique litteræ vel innectuntur, vel inſeruntur, vel per contignationem adduntur. In litterarum quadratarum numerum veniunt H. M. N. quæ binis fulcris inſtructæ facile conficiunt quadratum; *Circularia* denique ſunt, quæ circulis incluſa cernuntur. Si tantummodo nomen proprium Regis aut Imperatoris continent, vocantur *Nominalia*, ſi vero præter nomen tirulos etiam, qui cuique placuerunt, complectuntur, *Titularia* adpellantur; & hæc rurſus in *regia* ſeu ea, quæ regibus noſtris nondum imperiali dignitate conſpicuis, ſolemnia fuerunt, & *imperialia*, quæ iisdem ad imperii faſtigium evectis in uſu fuerunt, recte diſpeſcuntur. *Vid. Tab.*

Anti-

Antiquissimum Monogrammatum usum, & ipso quoque romano Imperio vetustiorem, innumera Græcorum, ac dein etiam Romanorum numismata ostendunt. In vexillis quoque, in operibus musivis & templorum aulæis sæpissime occurrunt. In Diplom. illorum usus serius invaluit. Primus illa adhibuit Theodoricus Ostrogothorum rex ad finem Sæc. V; ex *Merovingicis* quidam ea adoptarunt; *Carolus M.* tandem perpetuum illorum usum ad posteros propagavit, simulque cultiorem illis formam conciliavit. Recipiebantur deinde potissimum in Gallia, & Italia, & Germania, itemque in finitimis Lotharingiæ, Provinciæ & Burgundiæ regnis, & iisdem ferme, quibus ipsum Francorum imperium, limitibus Monogrammatum usus circumscriptus fuit, nec Principes modo verum alii quoque compendiosum hoc atque commodum subscribendi genus sibi adoptarunt. In Gallia jam ad finem X Sæc. negligi cæperunt, post excessum Ludovici IX Sancti († 1270) pœnitus sunt abolita; quod in Germania tardius evenit, ubi quidem jam a Friderico I rarius adhibita, sub Maximiliano I tandem pœnitus extra usum sunt posita.

Antiquissima Diplomatum monogrammata sunt *cruciformia*. Ludovicus Pius primus ea neglexit, & *quadrata* adoptavit, quem secuti sunt Successores eius omnes, exceptis Carolo Calvo, Carolo Crasso, Arnolpho & Conrado I, qui crucifor-

mia

mia retinuerunt. *Titularia* ab Ottonis II temporibus invaluerunt, qui titulum *Imperatoris Augusti* nomini ſuo adjecit, quem morem dein ſucceſſores ejus conſtanter obſervarunt. In *Hiſpania* Monogrammatum uſus erat rarus, in *Britannia* autem nullus. Cauſa exoleſcentis Monogrammatum uſus partim in tædioſa Characteris effictione, quem in dies intricatiorem reddiderat Notariorum ingenioſa induſtria, partim ex generali rerum converſione & quaſi revolutione, quam univerſa ſubſcribendi ratio ſæc. potiſſimum XI & XII experta eſt, repetenda erit.

Monogrammata æque ac cruces vel calamo ſeu penna, vel ſtampilla, vel denique lamina interraſili exarata ſunt, quod diplomata autographa inſpicientibus facile patebit. Ipſos Principes hæc ſua Monogrammata ſcripſiſſe vix eſt credibile, cum tot operoſis difficultatibus ſint repletæ. Veroſimilius eſt Notarios id præſtitiſſe, quam principes, quamvis poſteriores Diplomata ſe manu propria firmaſſe in conſuetis formulis vulgo profiteantur.

Ex his patet: Monogramma, cum ſubſcriptionum vices ſubeat, poſt completum præceptum ponendum eſſe, verum pro varietate temporum hic etiam locus varius fuit. In *Carolingorum* Diplom. uſque ad Carolum Calvum ante Datum & intra ipſam indicationis formulam reperitur, ita ut vocem *ſigni* ſemper ſequatur; ſucceſſores vero poſt nomen proprium, aliquando etiam ſed rarius

post vocem *Domini* illud adponunt, sub posterioribus regibus & Imperatoribus sæpius id immutatum est, neque idem semper locus Monogrammatis fuit.

Quum certum sit accuratam Monogrammatum cognitionem plurimum conferre ad subolendas & detegendas diplomatum fraudes, hinc Eruditi quidam omnium Imperatorum & Regum Monogrammata inde a Caroli M. ævo summo studio collegerunt, quos inter principem locum tenent Seb. Münster, Nic. Zylłesius, Octavius Strada, Carolus du Fresne, Dan. Papebrochius, Godefr. Bessel, I. Dav. Kœler & præcipue God. Leonh. Baudis, quorum opera diligenter inspicere oportebit. Nos hic regulas, quæ in examine Monogrammatum observandæ sunt, subnectemus.

1 Omnia Diplomata imperialia & regia, quæ inde a Carolo M. usque ad Fridericum I scripta fuerunt, Monogrammatibus, nec non Monogrammaticis formulis firmata sint oportet. A Friderici vero tempore Monogrammatum pariter ac formularum usus arbitrarius fuit.

2 Cum omnes reges ex stirpe francica, *Caroli* dicti, itemque *Arnolfus*, & ex regibus Germanicis *Conradus I* non nisi cruciformibus, reliqui vero quadriformibus Monogrammatibus usi sint, omnia illa pro spuriis habenda sunt, quæ his cruciformia, illis vero quadrata affingunt.

3 Quæ ante Ottonis II rempora *titularia* adferuntur, merito rejicienda sunt.

4 Genuinum potest esse Monogramma, licet alia manu, vel atramento alio quam diploma ipsum exaratum cernatur. Potuit equidem alius Notariorum Monogr. effingere, alius vero ipsam chartam conscribere.

5 In

5 In falſi ſuſpicionem merito veniunt Monogrammata, in quibus litteræ reperiuntur, quæ nec in nomine nec titulo Principis occurrunt.

6 Litteræ fundamentales non ſemper ſunt primæ litteræ ipſarum vocum aut nominum, quæ monogrammate aliquo continentur, nec reliquæ litteræ, ex quibus Monogr. aliquod compoſitum eſt, eo ſemper ordine collocatæ deprehenduntur, quo in ipſis vocibus una alteram excipere ſolet.

7 Litteræ inſolitæ, eique tempori, quo ſcriptum eſt Diploma, minus convenientes, Monogramma ſi non falſum, ſuſpectum tamen reddunt.

8 Sunt Monogrammata, in quibus lector unam alteramve litteram ſemel duntaxat poſitam pluries, hoc eſt toties quoties neceſſe eſt, repetere debet, neque tamen propterea inter manca referenda ſunt, neque ea repudianda, in quibus Abbreviaturæ, ſiglæ aut notæ numerales occurrunt.

SECTIO III.

DE ARTE FORMULARIA, SEU TERTIA THEORICÆ DIPLOMATICÆ PARTE

Ars formularia in explicatione formularum in initio, contextu, & clausula Diplomatum adhiberi solitarum versatur, complectiturque sequentes V Partes: I inquirit in formulas Invocationis ab initio poni solitas; II Principum nomina & titulos examinat; III Agit de iis, quæ in contextu totius Diplomatis occurrunt; IV occupatur circa Clausulam Diplomatum, adnotationes Temporum, indictiones, aliasque notas chronologicas; V denique agit de locis, in quibus Diplomata data sunt, de palatiis, villis publicis, & curtibus regiis.

Ars formularia proprium cuilibet sæculo stilum in Cancellariis usitatum nos edocet, qui optime perspici potest ex syntagmate dictandi sequentis tenoris: Proprie Regum vel principum præcepta signum certum non habent in exordiis,

ſed quod facere ſcriptoribus collibuerit, vel crucem, vel chriſmon, vel litteram quamlibet, circumdatam ſerpentibus, vel quodlibet aliud. Solet autem prima linea præceptorum longis & æqualibus litteris figurari. Initium autem præceptorum hujuſmodi eſt. *In nomine S. & individuæ Trinitatis. Heynricus Gratia Dei Imperator Aug.* — Poſt illum Prologum inducitur quaſi perſona Imperatoris loquentis, reddentisque cauſam, qua inductus voluerit præceptum ſtatuere, dicens: Regiæ dignitati competere, ut talium virorum, a qualibus ipſe rogatus eſt, non debeat contemnere preces, vel quam voluerit facere illius edendi præcepti vel mundiburdii juſtam Cauſam inſinuans. — Poſt hæc quod ipſe loci illius homini ſua auctoritate concedat vel roboret, erit illud ſubinferendum. — In fine illud erit locandum, ut quicunque contra illius præcepti decretionem fecerit — auri optimi libras, vel quodlibet aliud pretium — ſe perſoluturum cognoſcat, medietatem regiæ cameræ, & medietatem loco vel homini, cui illud præceptum conſcribitur — Poſt hæc quod Imperator propria manu ſubſcripſerit, & proprio ſignari ſigillo juſſerit, erit adjiciendum. — Poſt completum præceptum Monogramma eſt ponendum. Ex utraque autem Monogrammatis Parte longioribus & æqualibus litteris ſcriptum erit: *Signum Domini* (illius) *Imperatoris Sereniſſimi* vel *Auguſti.* Poſt monogramma prolixioribus & paribus litteris ſcribitur: *Heynricus* vel A. *Cancellarius vice G. Vercellenſis Epiſcopi recognovi.* In ultima Chartæ linea quoto anno a Domini incarnatione, & quota indictione, & quo regni vel imperii illius Imperatoris anno; & quo loco, litteris erit communibus conſcribendum. Quæ ſingula modo per partes examinabimus.

CAPUT I.

De Formulis Invocationis in initio Diplomatis adhiberi solitis.

Invocatio nominis divini dicitur Formula initialis Diplomatum, qua divinum numen, Christus, aut Sancta Trinitas invocatur.

More receptum fuit apud Christianos, nihil sine solemni precatione auspicari, factum inde, ut instrumenta quæque ab invocatione divini Numinis inchoarentur, quod adeo in consuetudinem abiit, ut nullum ex medio ævo monumentum diplomaticum exstet, quod non hujusmodi invocationem in fronte habeat, Imperatorque Maximilianus præceperit, eam omnibus instrumentis præmittendam esse.

In *Merovingicis* Diplomatibus nulla adhuc divini nominis mentio præmissa cernitur: at *Carolingorum* ætate recepta est communiter formula: *In nomine Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi! In Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti!* Postea a Sancta Trinitate Diplomata auspicatus est *Carolus Calvus* hac formula: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis*, quam deinde Germaniæ quoque Reges & Imperatores constanter retinuerunt. In Diplom. Regum *Poloniæ* inveniuntur sequentes: *In Nomine Domini Amen! In Christi Nomine Amen!* & in tractatu fæderis inter Casimirum Poloniæ & Georgium

Bo-

Bohemiæ regem ab An. 1461: *In Nomine Sanctæ Trinitatis & individuæ Unitatis Amen.*

Nequaquam credendum proprium semper ac perpetuum harum formularum fuisse usum, ita ut nunquam fuerit immutatus. Multis enim exemplis compertum est: formulas uni Imperatori familiares, ab altero neglectas, & alias usurpatas esse. Quin ipsi Imperatores sæpius ab ea, qua ante usi sunt, invocatione recesserunt. Sic Otto M. communem formulam adoptavit: *In Nomine Domini Jesu Christi!* & tamen in alio ejusdem authentico diplomate legitur: *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi.* Post Sæc. XIII aliæ quoque faustæ apprecationes & salutandi formulæ receptæ sunt. V. g. *Universis Christi Fidelibus salutem in auctore salutis!* aut *Gratiam suam & omne bonum*; aut *ad perpetuam rei memoriam!*

Ex his generales hasce regulas eruimus.

1 Suspectæ sunt fidei *Merovingorum* diplomata, quæ invocationem divini Numinis præmissam habent.

2 Diplomata *Carolingorum* genuina ante Carolum Calvum non inchoantur formula: *In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.*

3 Varius & inconstans sub Impp. Germanicis fuit invocandi formularum usus.

4 Invocatio Sanctæ Trinitatis reliquis omnibus frequentior & usitatior est in Diplom. Germ.

Caput II.

De Nominibus & Titulis Regum & Imperatorum in Diplom.

Tria hic præcipue examinanda veniunt: I Formulæ, quæ Regum nominibus vulgo præponuntur; II Quomodo Principes pedetentim Titulorum ſplendorem auxerint; III Honorificæ denominationes, quas aliis dignitate minoribus largiti ſunt. Primum quod attinet: Nomina regum Francorum tam *Merovingicæ* quam *Carolingicæ* ſtirpis ſimpliciter ſine præmiſſo prænomine ſingularis aut pluralis numeri in Diplom. gnnuinis expreſſa ſunt, idem in antiquiſſimis Germaniæ regum codicibus obſervatur. Originem Diplomata Germanica cum additamento *Nos*, quod genus loquendi nonnullis *majeſtaticum* vocatur, auſpicandi ab Interregni M. Temporibus repetit, Jo. Nic. Hertius.

Si antiquiſſimi interdum Francorum reges tum ante, tum poſt Dagobertum numero multitudinis de ſe loquuntur; id non tanquam conſuetum hodie additamentum conſiderandum, ſed tanquam formula in ipſo tantum diplomatis contextu adhiberi ſolita. In germanicis vero Diplom. Vocabulum *Nos* manifeſtum eſt fraudis indicium, & ſi in quibuſdam Pronomen *Ego* occurrat, per errorem imperiti Notarii illud irrepſiſſe credendum eſt.

For-

Formulam: *Dei gratia*, vel ut alii habent, *per Dei Gratiam* titulis præmitti solitam a Græcis Imperatoribus præcipue a Leone I nonnulli repetunt, quæ vero nimium quantum variata est; ita, ut in ejus locum substituta sint: *Divina favente clementia*, *Dei miseratione*, *divina concedente*, *auxiliante*, *juvante*, *propitiante*, *disponente dispensante*, *miserante*, *præordinante clementia*, inter quas illa: *divina favente clementia* sæpius occurrit, & præ reliquis constantius usurpata est. Tandem hæc: *Dei Gratia* in omnibus tum Imperatorum, tum Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Poloniæ, aliorumque regum Diplomat. dominari cæpit.

In Oriente Formulam *Dei Gratia* Pipinus rex primus assumsisse creditur, quem & sui successores & alii Reges ac imperatores sunt secuti. Quidquod & aliis minoris dignitatis placere cæpit, ac primo quidem Comites Burgundiæ, dein R. I. Principes & Comites ea usi sunt, quum terras suas hæreditario nomine possidere cæpissent; & cum Ecclesiastici Principes sacra dignitate conspicui aliam: *Dei & Apostolicæ Sedis gratia* assumsissent, & sæculares illam: *Dei & Imperatoris gratia*, titulis suis præmiserunt

Simplici tantum titulo primi delectabantur Reges; & Merovingicæ ac Carolingicæ stirpis Principes se *Reges Francorum*, Germaniæ vero, *Reges* simpliciter sine ullo additamento nominabant, donec Sæc. XII vocabulum *Germaniæ* aut *Allemaniæ* accesse-

rit. Titulus *Regis Romanorum* ante Henrici II tempora insolitus est; *semper Augusti* appellatio antiquissima est, & jam in monumento quodam Phili pi Arabis invenitur, & Diocletiano, Constantino, Juliano, aliisque Impp. adjuncta legitur, ut igitur propter hanc unicam causam, quod hic titulus in Diplomate occurrat, nequaquam illius fides labefactetur. Tandem ab eo tempore, a quo imperium Romanum cum Germaniæ regno perpetuo vinculo conjunctum fuit, *Imperatoris* quoque titulus accessit; sed ita, ut Principes ante susceptam Romæ coronationem simpliciter se appellarent *Reges*, imperialem vero dignitatem consecuti, *Imperatoris* quoque *Romanorum* nomen sibi tribuerent.

Carolus M. se primus quoque *Regem Longobardorum* ac præter magnificum Imperatoris titulum etiam *Patritium Romanorum* dixit; ejus Successores *Augusti* vel *Imperatoris* Nomen non a die Consecrationis Pontificis, sed quisque a morte Patris, vel designatione Successoris ab eo facta adsumserunt. Hinc nec annos imperii & regni distinxerunt, nec regem ab Imperatore: Conradus II præter Nomen Imperatoris etiam appellationem *Pacifici*, *Invictissimi*, *Excellentissimi* assumsit. Nomina a vitiis aut virtutibus imposita v. g. *Magnus*, *Pius*, *Crassus*, *Calvus* in Diplom. non leguntur. Vocabulorum: *semper Augusti* consuetudo non subito invaluit, sed paullatim cæpit frequentari, neque titulus ille, ut quidam perperam credunt, ominabatur incrementa Imperii, sed æternitatem & perpetuitatem in Imperio. Hinc disce-

disceptatur num recte *Augusti* Vocabulum germanice reddatur: *Mehrer des Reichs.*

Tandem tituli splendor additis etiam *aliorum regnorum* & *provinciarum hæreditariarum* nominibus nimium quantum auctus est. Primus hujus consuetudinis auctor Fridericus II esse fertur, quem ex successoribus præcipue secuti sunt Carolus IV. qui se Regem quoque Boemiæ scripsit, & Sigismundus, qui Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ titulos addidit, Imperatores dein ex Austriaca stirpe æque ac reliqui Europæ Reges totam regnorum ac Ducatuum suorum seriem Nominibus suis adjunxerunt.

Reges quoque *Poloniæ* simplicem Regis Poloniæ titulum, quo adhuc usus est Casimirus M. plurimis aliarum terrarum denominationibus auxerunt, ita ut plenus eorum modo Titulus sit: *Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Massoviæ, Samogitiæ, Cujaviæ, Volhiniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ Czernichoviæque* quibus ob exteras proxincias Henricus: *Nec non Dux Borboniorum, Andium, Alvereorum* &c. Stephanus Bathory: *Transylvaniæ Princeps*, Sigismundus III, Vladislaus IV & Joannes Casimirus: *Suecorum, Gothorum Vandalorumque hæreditarius Rex*, ac deinceps Augustus II & III *Hæreditarius Dux Saxoniæ & Princeps-elector* addiderunt.

Tituli, quibus Principes alios dignitate minores condecorant, sunt sequentes: Episcopi & alii Ecclesiastici Ordinis *Venerabiles*,

hono-

honorabiles, *religioſi*, *beati*, *devoti*, *ſancti*, *dilecti*, & interdum etiam *fideles*, aut *Veſtra Sanctimonia Beatitudo*, *Paternitas*, *Corona Apoſtolica* &c. dicebantur, ſæcularibus vero officiis admoti: *Nobiles*, *illuſtres*, *Excellentes*, *perfectiſſimi*, aut *Veſtra Illuſtritas*, *Tua ſinceritas*, *Induſtria*, *ſollicitudo*, *Utilitas*, *Prudentia* &c. in Polonia, *magnifici*, *generoſi*, *famati Domini* audiebant. Reges ubi de ſe ipſis mentionem faciebant, *Majeſtatis*, *Celſitudinis*, *ſublimitatis*, *Excellentiæ*, *Manſuetudinis*, *Serenitatis*, *Pietatis*, aut etiam *regalis culminis*, *Magnificentiæ*, *Altitudinis*, *Clementiæ* &c. titulos ſuis nominibus addebant.

Cognomina *Ducum*, *Principum*, *Comitum* & *Baronum* vulgo ab illorum ditionibus, prædiis & Caſtellis ſummebantur. Alias Nobiles ſimpliciter *Miniſteriales* aut *Milites* dicebantur. Ante Henricum Aucupem nulla *Imperii Principis* fit mentio, *Comitis* Titulus jam Sæc. VI illis proprius erat, qui civitatibus præerant. Carolus M. primus *Marchiones*, qui limites Imperii tuerentur, conſtituit, *Palatini Comites* in Regum palatiis jus adminiſtrabant; *Baronis* denominatio poſt Sæc. XI primo audiri cæpit. Titulus *Illuſtris* apud Francos ſplendidus præcipue fuit, ita ut & ipſi Reges eo inſigniri amarent; Vox *Feudum* ante Sec. VIII in Diplom. genuino fruſtra quæritur.

CA-

CAPUT III.

De Formulis, quæ in Contextu Diplomatum occurrunt.

Quodlibet Diploma, ut aliæ oratoriæ elucubrationes, V complectitur Partes: *Exordium*, *Propositionem*, *Confirmationem*, & *Epilogum*. *Exordium* arbitrarium quidem est, vulgo tamen *Intimationem* continet, qua Diploma omnium notitiæ subjicitur.

Duplici potissimum modo facta est *intimatio*; aut enim simplicibus verbis enuntiatur hisce formulis: *Noverint omnes fideles tam præsentes, quam futuri*; *Notum sit omnibus fidelibus tan præsentibus quam futuris*; aut substantivo quodan exprimitur hoc modo: *Noverit omnium tam præsentium quam futurum solertia, sagacitas, industria* &c. Sæpius quoque omnes, ad quos Diploma petinet, per enumerationem recensentur v g. *Omibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus* &c aut *Dilectis fidelibus universis paribus, Nobilibus, Castellanis, hominibus censualibus, ac hominibus omibus cujuscunque conditionis.* In Pol. diplom. frquentissime occurrit sequens Intimationis formula *Significamus tenore præsentium, quibus expedit universis, præsentibus & futuris* &c.

Propositio primarium Diplomatis Thema explicat. V.g. *Principatus sive Ducatus Austriæ, Styriæ, Carniolæ cum universi suis honoribus, juribus, libertatibus & pertineniis illustribus Al-*

berto & Rudolpho filiis nostris solenniter cum vexillis dedimus in feudum.

Vulgo hic causa exponitur, qua Rex vel Imperator inductus tale praeceptum sta uerit, aut aliquid concesserit v. gr. *Ob remedium animae, ob mercedem animae, ob praesentis vitae prosperitatem, & futurae beatitudinem;* aut ut in Diplom. quodam Ludovici Pii legitur: *Si petitionibus servorum Dei justis favemus, digne retributionis praemio nos a Domino remunerari fideliter credimus, idcirco* &c. Si quod donum confertur, illud adcurate cum ampla eorum serie; quae ad rem concessam pertinent, describitur v. g. *Omnes praefatarum civitatum familias cum mancipiis, aedificiis, agris, pratis, pascuis, sylvis, aquarumque decursibus, molendinis piscationibus, exitibus & reditibus, quaesitis & inquirendis, cultis & incultis jure perenni tradamus.* Interdum illis aut nulla obligatio adjungitur, v. g. *Liberam habeat potestatem faciendi quidquid voluerit, donandi, vendendi, heredibus relinquendi* &c. aut quoddam obligationis onus imponitur. V. g. *Dux Austriae non debet esse obnoxius — excepto duntaxat: quod imperio servire tenebitur in Ungariam duodecim viris armatis per mensem unum sub expensis propriis, ut princeps imperii dinoscatur.*

In Contextu post rem rite examinatam atque constitutam succedunt *imprecationes*, quae nihil aliud sunt, quam Sanctiones poenales, quibus tanquam firmissimis praesidiis muniebantur Diplomata contra eos, qui publicorum instrumentorum vim atque auctoritatem infringere auderent. Praecipue vero testamenta & donationes diris ejusmodi execrationibus abundant, ut nullum facile eo-

rum

rum ex medio ævo reperiatur, quod illis careat. *Tria* autem potiſſimum ſunt pœnarum genera, quæ Violatoribus imminere dicuntur: I *Principum indignatio*, II *Mulctæ pecuniariæ*, quid, quod etiam *pœna capitis* III *Pœnæ ſpirituales*, quæ ſunt Anathemata, Excommunicationes, Vindicta divina, ira Sanctorum, & infernalis ignis cruciatus. Mulctæ pecuniariæ in Diplom. Germ. admodum frequentes ſunt, & mox cum pœnis ſpiritualibus, veluti Excommunicatione, Judicii divini interminatione conjunctæ, mox ſine illis reperiuntur.

Exempla cuiuslibet imprecationum generis hic ſubnectam. Ac 1: *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtræ conceſſionis gratiam infringere, quod qui præſumſerit, gravem noſtræ Majeſtatis offenſam ſe noverit incuriſſe.* 2 *Si quis contra — venire temptaverit, fiſco auri libram unam & argenti libras duas perſolvat;* aut: *ſciat ſe triginta librarum pœnam perſoluturum, medietatem parti palatii noſtri & medietatem ſæpedicto S. Cœnobio;* 3 generis denique: *Quod ſi quis arte aliqua ſive dolo ſive violentia quæque bona prænominatæ eccleſiæ minuere præſumſerit, Anathema ſit, & a regno Dei & conſortio ſanctæ eccleſiæ nunc & ſemper ſegregetur, & ſit portio ejus cum ſatana & angelis ejus uſque in æternum!* aut: *Inveniat iſte Deum & cœleſtes omnes ac incorporeas poteſtates ſibi nunquam non adverſantes. Immature ex hac vita excidat potius, quam excedat — recipiat in terribili judicio, & habeat partem cum Juda & tremore Cain.*

Epilogus ſeu extrema Diplomatum pars continet 1 *Clauſulas*, quibus *Subſcriptio* expri-

primitur, 2 *Formulas monogrammaticas* 3 *Sphragisticas.* Formulæ *Subscriptionis* non alio fine subjiciuntur Diplomati, quam ut fraudis subspicio eo magis ab illo amoveatur, majorque fides atque auctoritas ipsi concilietur. Patet hoc ex ipsis verbis v. g. *Et ut hæc verius credantur ac inconvulsa permaneant* &c. vel ut in Diplom. polonico habetur: *In cujus rei testimonium firmissimum robur præsentes litteras manu nostra propria subscripsimus.* Tales Clausulæ a Diplomatibus, quæ genuinæ sunt, nunquam abesse solent.

Accedit huc etiam mos, complurium *testium subscriptione* Diplomata muniendi, qui jam antiquissimis Francorum Regibus placuit, a Germaniæ vero Regibus primo Sæc. X receptus est. Henricus IV, testes jam sæpius in Diplom adhibuit, hac usus formula: *interventu, vel testibus præsentibus N. N.* Nulli vero magis in moribus hoc positum fuit, quam Henrico V Imperatori, cujus pauca admodum Diplomata exstant, quæ testium subscriptionibus carent, in modo vero adscribendi nomina testium sæpe variavit. Lotharius ordinem illis hunc assignavit: ut primo loco nominet Clericos, deinde Laicos, & denique Ministeriales. Testes nominibus suis vulgo crucem vel Chrismon, præponebant. Interdum vero Cancellarii tantum testium mentionem faciebant hac formula: *Testium itaque, qui interfuerunt, hæc sunt nomina*: aut: *præsentibus, quorum quosdam subnotamus.*

Formulæ Monogrammaticæ duplicis sunt generis, *Commemorationis* aliæ, aliæ *Indicationis.* *Illæ* in fine contextus diplomati-

cæ

cæ expressæ cernuntur, lectoremque ad exspectandum Monogramma aliquod, Diplomati majoris roboris causa, vel propria principis alteriusve hominis manu, vel eorum jussu a Notario adjunctum, quasi præparant. *Hæ* vero ad utrumque Monogrammatis latus, plerumque exaratæ, cujus sit Monogramma, disertis verbis declarant. Utrumque hoc formularum genus in Diplomatibus Imperatorum ac Regum Germaniæ a Carolo M. ad Friderici I. usque tempora continuatum, postero autem tempore, ut ipsa Monogrammata, sæpissime neglectum fuit.

En Exemplum harum formularum. Et ut huius Complacitationis præceptum firmum stabileque permaneat, *manu nostra subtus illud firmavimus* (form. Commemorat.) annulique impressione sigillari jussimus *Signum Domni Chuonradi* (Locus Monogram.) *serenissimi Regis* (form. indicat.) Sequitur dein Archicancellariorum subscriptio, de qua superius.

Formulæ *Sphragisticæ* sunt eæ, quibus sigillornm aut impressio, aut appensio indicatur, vulgo monogrammaticis conjunctæ inveniuntur. Variæ hæ sunt pro diversitate temporum. Ac *Merovingorum* quidem ætate, etsi Regum annuli diplomatibus impressi fuerint, pauca tamen reperiuntur diplomata, in quibus formulæ sphragisticæ leguntur. Contra in *Carolingorum* Diplomatibus annuli impressi mentio rarissime omissa fuit. For-

mularum hæc exempla habemus: *Anulo noſtro ſigillare decrevimus, de anulo noſtro ſubter ſigillare* vel *anuli noſtri impreſſione adſignari juſſimus*; item *Bullis noſtris juſſimus inſigniri.* Uſitatiſſima vero omnium inde a Sæc. XIII hæc fuit formula: *In cujus rei teſtimonium præſentes litteras ſigillo noſtro fecimus roborari.* Pari modo in Germania formulæ ſphragiſticæ variarunt. Vocabula enim *Anulus* & *Sigillum, ſignari, conſignari, aſſignari, inſigniri, ſiuillari juſſimus* promiſcue uſurpata ſunt.

Eadem formularum in Diplom. Regni Poloniæ habetur ratio. Occurrunt ſæpiſſime ſequentes. *In quorum omnium teſtimonium præſentes litteras fieri, & ſigillorum noſtrorum munimine juſſimus roborari. Sigilla ad majorem evidentiam præſentibus ſunt appenſa. In quorum omnium præmiſſorum fidem robur & teſtimonium præſentes litteras fieri & ſigillo noſtræ regiæ altitudinis juſſimus communiri. Noſtræ majeſtatis ſigillo præſentibus ſubappenſo.*

CAPUT IV.

De Adnotationibus temporum, indictionibus, aliisque notis Chronologicis.

Quum in fine Diplomatum tempus, quo Diploma datum, deſignetur: nemo facile negaverit, conſulendam eſſe Chronologiam, quæ tam luculenta argumenta ſuppeditat ad detegendas falſariorum fraudes, & ad firman-

mandam stabiliendamque authenticorum diplomatum auctoritatem, ut necessitate & utilitate reliquis rei diplomaticæ partibus fere anteponenda videatur. Sunt autem tres præcipue Chronologicæ adnotationes, quæ Diplom. in fine apponuntur: I consistit in *adnotatione Anni & Diei* II in adnotatione *Indictionis* & III denique in adjectione *annorum regni* & *imperii.*

Germani æque ac aliæ gentes non certam & unicam, sed variam & diversam numerandi annos, eosque inchoandi rationem secuti sunt. Antiquissimis temporibus annum a Calendis Martiis, ac postea a tempore incarnationis Christi auspicati sunt. Recepta hæc epocha vulgaris, cuius author Dionysius exiguus, Abbas Romanus, Sæc. sexto floruit, primum est a conditoribus Annalium, ac deinde Sæc VIII. in Diplomata introducta, sed ita ut mox Dies Nativitatis Christi, mox Calendæ Januarii primus anni dies numeraretur. Ex *Merovingicorum* Regum diplomatibus anni incarnationis adhuc penitus exulant, in *Carolingicis* jam sæpius occurrunt. *Carolus* denique *Crassus* illorum usum hucusque vagum & inconstantem stabilivit & ad posteriores Germanorum reges propagavit.

Mensium quoque *dies* Diplom. addebantur, ac antiquissimis quidem more Romani Calendarii, dein vero a nominibus Sanctorum, aut a diebus Festis aut a Versiculis, quos in exordio Missæ decantabat Ecclesia, notabantur. Hic mos post Rudolphum Habsburgicum fere in omnibus Germaniæ

monumentis invaluit, ejusque custodia poste-rioribus etiam sæculis mansit. Idem in polonicis factum esse patet. Formulæ adhiberi solitæ sunt: *Datum Gandavi sub die Kalend. Novembr. qui est dies Venerationis omnium Sanctorum anno MXXVI. Datum in crastino Lucæ Evangelistæ. Actum & Datum in Pysdry feria tertia proxima ante Nativitatem S. Mariæ A. D. 1346. Datum & actum in Luckow anno D. M. CCXCVII proxima feria quarta post Dominicam, qua cantatur: Gaudete in Domino.* vel *Feria tertia post Invocavit.*

Diplomatici interest hanc tempora a nominibus Sanctorum designandi rationem ad nostros calculos revocare, quod ope subsidiariorum librorum, quos Joannes du Mont in corpore suo diplomatico, Jo. Jac. Rabe in Calendario festorum, dierumque mobilium, & Christ. Gottl. Haltaus in Calendario medii ævi præcipue germanico suppeditarunt, facile præstabit.

Sequitur jam altera Chronologiæ Diplomaticæ pars, quæ in adnotatione *Indictionis* consistit. Est autem Indictio spatium 15 annorum, quod annis Christi addi solet. Tres notantur hujusmodi Indictionum species. I *Constantinopolitana* seu Græca, quæ a calendis Septembris inchoatur. II *Constantiniana*, quæ ab VIII Cal. Octobris, & III *Pontificia* seu Romana, quæ a Calendis Januarii incipit. Ex his *Constantiniana* po-

potiſſimum ab Imperatoribus uſu ſervata eſt, ideoque etiam Cæſarea dicitur. Eandem quoque Juſtinianus Imp. inſtrumentis inſeri juſſit, & uſum eius adhuc hodie Notarii in Imperio retinent ex Conſtitutione Maximiliani I.

Tria luſtra, ut patet, comprehendit Indictio, quum vero ſingulis olim luſtris Romæ cenſus ageretur, & cenſus in provinciis nova adferret tributa: probabile ſane eſt, a tributariis penſitationibus ſeu Indictionibus nomen manaſſe. Ratio quoque inde reddi poteſt, cur XV annorum ſpatio indictiones finiantur, ut ſcilicet Provincialibus conſtaret, qualia tributa indicta & conferenda eſſent, ſiquidem ſingulis luſtris alia exigebantur.

Indictionis uſus ante initium Sæc. IX in Diplom. Francicis nullus, nec adeo frequens apud Hiſtoricos fuit, licet ante id tempus in actis Conciliorum aliisque monumentis locum nonnunquam habuerit. Itaque primum ab imperio Caroli M., id eſt ab ineunte Sæc. IX in Diplom. modus ſignandi tempora per indictionem invaluit. A Carolingis morem hunc acceperunt Germani, & conſtanter retinuerunt. Quum vero Franci varias ſequerentur Indictiones, modo Conſtantinopolitanam, modo Romanam, apud Germanos non niſi ea Indictio, quæ ab VIII Kalend. Octobr. incipit, ſeu Conſtantiniana, obtinuit.

Extra dubium eſt, hanc computationem ad cavendos errores, qui de temporum ordine forte

te oboriri poterant, inventam esse, & hinc quoque Imperatores ea usi sunt, ut ex collatione temporum inter se, anni scilicet christiani & indictionis veritas aut falsitas Instrumenti eo facilius intelligi posset. Methodus indictiones inveniendi in Prælectionibus docebitur.

Ad Chronologiam quoque pertinet computatio annorum *regni* & *imperii*. Jam in antiquissimis Regum Francicorum Diplom. annos *imperii* adscriptos esse observatur. Imitati hos sunt Reges Germaniæ, qui annos *regni* tantum exprimebant, si vero Imperatores quoque creati essent, *imperii* annos seorsim numerabant. Ob diversam igitur regiam & Imperatoriam dignitatem duas adhibebant Epochas, alteram regni germanici, alteram imperii, & si qua alia regna tenerent, horum quoque annos computabant.

Carolingi annos regni & Imperii non a morte illorum, quibus successerant, sed ab ipsa primæva electione & coronatione regia & imperiali computabant. Reges autem & Imperatores Germaniæ epocham hanc regulariter auspicantur a tempore suscepti regni & imperii, seu consecrationis regiæ & imperatoriæ. Sic Otto M. qui primus e Germaniæ regibus Rom. Imperium obtinuit, annos regni & Imperii numerat in Diplom. de Anno DCCCCLXV hac formula: *Anno regni Domini Ottonis XXX Imperii III* Aliam plane computandi rationem inierunt Impp. Henrici. Hi enim tempus, quo vivis adhuc parentibus regis titulum gesserunt, quod novo vocabulo *Ordinationis* denotant, distinquebant a tempore, quo ipsi regni gubernacula moderati sunt. Hinc primo

mo annos *ordinationis*, porro annos *regni* & denique annos *Imperii* nominant. Henrici III in Diplom. de anno MLVI hæc est subscriptio. *Anno autem Domini Henrici III Regis, II Imperatoris, ordinationis XXVIII, Regni vero XVIII, Imperii X.* Post Henricum V hujus Epochæ usus plane exolevit. Mos adnotandi etiam *annos regiminis regnorum Hæreditariorum* Henrico VI & Friderico II adscribitur, quem omnes dein successores & reliqui Europæ Principes susceperunt. Sic in Diplom. Sigismundi Poloniæ Regis legitur: *Regnorum nostrorum Poloniæ XXII, Sueciæ XV.*

Hæ annorum, mensium & dierum assignationes formulas *Datum* & *Actum* præpositas vulgo habent. Insigne autem utriusque vocis est discrimen. *Datum* enim denotat tempus confecti instrumenti seu Expeditionis. *Actum* vero tempus Concessionis & significatæ regiæ voluntatis indicat. Utrumque in eodem loco præsente Rege aut Imperatore fieri in continenti potest; *Datum* non requirit præsentiam regis, & hoc etiam absente fieri potest in Cancellariis; *Actum* vero nunquam fieri potest absente Rege largitore, utpote cujus voluntate & jussu ad conficiendum Diploma opus est. A Caroli M. tempore *Data* in tertia persona, quasi Cancellarius loquatur, concepta sunt, uti innuit formula: *Anno regni vel imperii gloriosissimi vel serenissimi Imperatoris vel Regis*, quod secus erat in Diplomatibus Merovingorum. Hi enim *Datum* quasi a se positum exprimebant

bant ita: *Anno regni nostri.* Carolingorum mos a Germaniæ quoque Regibus & Imperatoribus in Diplomatibus servatus est, & obtinuit usque ad Rudolphum Habsburgicum. Ab hoc tempore Merovingica ratio in usum postliminio revocata est.

Postremo notari debent sequentes regulæ, Chronologiam Diplomaticam præcipue illustrantes. 1 Quamvis ordinarie anni imperii ab annis regni in Diplomatibus seorsim numerentur, non tamen semper hoc adcurate observatum est, nec inusitata erat annorum imperii in Diplomatibus omissio. Etenim Reges & Imperatores discrimine hoc posthabito annos imperii cum annis regni nonnunquam conjunxerunt, ita ut unam Chronologiam certo respectu constituerent. 2 Nonnunquam menses aliquos tam regni quam imperii annorum omittebantur, ita ut plane non numerati videantur, nonnunquam vero ita eosdem computabant, ut integrum annum constituant. 3 Anni regni & imperii sibi alioquin in anno quidem, sed non certo anni tempore æquales, vel additis vel rejectis nonnulis mensibus adæquati sunt. 4 Diploma non statim pro conficto habendum, quod Anachronismum quemdam præsefert, aut in quo temporis notatio vitæ Imperatoris non recte quadrat, si reliqua in eo recte se habeant, nec aliud fraudis indicium appareat. Constat enim Diplomata nonnunquam a vivis Imperatoribus inchoata, post mortem demum vulgata esse, aut ante plures annos confecta, post aliquot annorum decursum in effectum deducta esse. 5 Denique si Historicorum etiam coævorum testimonia tempori dati Diplomatis contradicant, illorum auctoritas Diplomatis fidem non infirmare debet.

CA-

Caput V.

De locis, in quibus Diplomata data sunt, Palatiis & villis publicis & curtibus regiis.

Germani, si ultimam illorum memoriam recordamur, nullas, ut ex Tacito discimus, urbes incoluerunt. Henricus Auceps primus erat, qui, ubi suos exterorum prædæ ac direptioni expositos esse animadverteret, castella munire, civitates exstruere, atque Colonos in urbes congregare cæpit. Quasdam illarum sequentes Reges tanquam majores & celebriores splendidis ædificiis seu palatiis exornabant, unde illis dein *palatii* nomen hæsit, ut ab iis distinguerentur, quæ palatiis destitutæ erant, & *villæ regiæ* dicebantur, quia ad Fiscum regium pertinebant.

Quamquam palatia etiam fuerint villæ, uti hoc quoque nomine sæpe in Diplomatibus veniunt: minus tamen recte omnes villas palatia dixeris. Erant enim, ad quas nunquam, vel raro, & non nisi in transcursu diverte e solebant reges, id eoque non ornatæ palatiis, quippe quæ in majoribus tantum civitatibus, & iis modo, quas sæpius invisebant, exstruebantur.

In his igitur *palatiis* reges hiemare, & si quies, nihilque unquam esset hostile, æstiva quoque agere solebant, hic legatos exterarum gentium audire. Principum controver-

sias dirimere, episcoporum concilia & Optimatum comitia celebrare, hic denique bene de se meritos privilegiis ornare, Diplomata concedere, aut jam antea concessa stabilire consueverunt.

Alia regum ædificia & habitationes *Curtes Regiæ* & *fisci dominici* dicebantur. Ne enim reges sumtibus civium & gravi eorum dispendio viverent, villas, ex quibus ea, quæ ad victum pertinebant, omniaque ad sustentationem necessaria haberent, sibi reservabant. Sic aliæ frumenta, & opsonia, aliæ feras, pecudes, pisces præbebant, ex aliis vinum, oleum lac & id genus plura sumebant, quales reditus ad curtem seu villam regiam pertinentes in Diplomatibus recensere solent.

Ad hæc igitur *Palatia* ad Ludovici usque Bavari tempora in continuis per omnes Germaniæ Provincias itineribus divertebant Imperatores, Reipublicæ negotiis operam daturi; & quum dein provincias imperii principibus & Episcopis hæreditario jure conferrent, certas tamen sibi retinebant urbes, e quibus fisci sui reditus necessarios petebant. Institutis dein Ducatibus, in singulis terram a ducum potestate liberam sibi reservabant, quam Imperatorum nomine *Comites Palatini* regebant, unde originem ducunt Palatinatus, quorum reditus in fiscum cæsareum influebant, sed quum sensim curtes regiæ & fisci imperiales episcopatuum & monasteriorum fundationibus adi-

dicerentur, urbes palatinæ & terræ immediatæ in Principum poteſtatem veniſſent, aut beneficio Imperatorum ducibus Comitibusque donatæ eſſent, uſque adeo imminuti ſunt reditus, ut vix haberent Impp. unde viverent. Hinc fieri non potuit, quin deperditis & diſſipatis imperii bonis Ludovicus Bavarus neceſſitate adactus in terris ſuis hæreditariis certam fixamque ſibi ſedem conſtitueret, cujus exemplum Succeſſores quoque ſecuti ſunt.

Egregie de rei diplomaticæ ſtudio meriti ſunt illi, qui loca illa, in quibus diplomata olim conceſſa ſunt, adnotarunt, & de villis & palatiis Regum & Imperatorum Germaniæ cum cura commentati ſunt. Inter hos præcipue eminet Godefridus Beſſel, qui in Chronico ſuo Gottwicenſi perfectiſſimum Palatiorum Imperialium in Germania ſitorum Elenchum contexuit.

Hujuſmodi igitur palatiorum mentio in quolibet Francorum &Germanorum Imperatorum Diplomat. occurrit. *Merovingi* quidem locum notare ſolebant, ſed nec palatii, nec villæ regiæ vocabulum aut non niſi rariſſime adjiciebant, quod *Carolingis* admodum familiare erat. At *Germaniæ* Reges & Imperatores modo adjiciunt palatii vel villæ nomen notationi loci, modo illud omittunt. Formulæ hic apponi ſolitæ, ſunt: *Datum Aquisgrani, Triburi,* & *Frankenewort* &c. *Actum Hariſtalio palatio publico in Dei nomine feli-*

citer; quæ ultimæ voces Diplomata plerumque claudunt.

Non magis ad Diplomatum integritatem locorum notatio facit, quam ad historiam, tum, quia inde eruitur notitia loci, ubi Princeps tum erat, quum aliquod diploma daret, tum quod itinerum, quæ pro reipublicæ usu Reges & Imperatores obibant, ratio hinc colligi potest, Quare jam antiquitus in chartis adnotatio loci requirebatur.

CAPUT VI.

De Sphragistica. (*)

Sphragistica est scientia Sigillorum, quæ Diplomatibus majoris roboris ac fidei causa imprimi aut appendi solent. Patrum nostrorum ætate ea inventa est, & I. M. Heineccius primus erat, qui eam ad artis formam redegit.

Sigilla non modo signum ipsum Diplomatibus impressum vel appensum, verum etiam typarium seu instrumentum signatorium, quidquod & ipsum Diploma denotant, alias etiam *bullæ*, *signeta*, *signacula*, potissimum vero *annuli* dicebantur. Præcipua *Typariorum* materia erant metalla, gemmæ & ebur. Custodia illorum nunquam non viris & munerum auctoritate, & integritatis laude conspicuis demandabatur, & ne in manus impostorum venirent, vulgo cum ipsis possessoribus terræ mandabantur, vel inter cærimonias funebres frangebantur.

Si-

(*) Ad pag 52 hoc Caput transferendum est.

Sigillorum ufus longe eft antiquiffimus & apud omnes nationes receptus. Quod auctoritatem illorum fpectat, *tres Epochæ* diftinguendæ funt. In prima, quæ ad Sæc. ufque VIII decurrit, ufus figillorum neceffarius atque univerfalis fuit, ita quidem, ut ipfæ leges diplomata, quæ non fubfcripta, figilloque munita effent, pro infectis declararent. In altera Epocha, quæ a Sæc. VIII ad medium ufque Sæc. XII computanda videtur, figillorum ufus reftrictior & quodammodo arbitrarius fuit. In tertia denique, hoc eft a medio Sæculo XII ufque ad Sæc. XV priftinus figillis honor quafi reftitutus eft. Ex hoc tempore tam principes, quam epifcopi & abbates, itemque Nobiles, quidquod privati etiam, figilla fibi adoptarunt, tantaque omnino figillis authoritas tributa eft, ut nullum Diploma, nifi quod fignatum effet, pro legitimo haberetur, ipfaque adeo figilla omnium fere folemnium locum tenerent.

Sigilla etiam fubfcriptionum & teftium vicem fuppleverunt. Quare nemini mirum videri debet, fi quando uni eidemque Diplomati decem, viginti, vel plura etiam figilla appenfa videat. Epiftola, quam Bohemi Patribus Concilii Conftantienfis obtulerunt, 350 figillis munita fuit.

Inter figilla præcipue eminent: *Sigilla maieftatis* & *Contrafigilla.* Illa funt, quæ imagines Imperatorum Regum ac Principum in-

integras & ad summam majestatem composi-tas, hoc est coronatos, throno insidentes, sceptrumque & globum imperialem tenentes exhibent. Primus talem habitum in sigillis Henricus II Sanctus assumsit, ultimus Fridericus II. *Cont asigilla*, quæ etiam *S cr*e*ta* vocantur, sunt sigilla minora, quæ majoribus vel a tergo impressa sunt, vel separatim diplomatibus adpensa. Primum iisdem usum fuisse ferunt Henricum VI, quem secuti sunt Carolus IV, &, qui ei successerunt, Impe-ratores. Adhibita sunt, tum ne quid detrimenti a falsariorum manibus sigilla primaria caperent, tum ut tituli Provinciarum, qui in sigillo primario locum non invenirent, in illa rejicerentur.

In er principes usum sigillorum Majestatis sibi primi vindicarunt Electores Brandenburgici, duces Brunswicenses, Electores & duces Saxoniæ, Duces Austriæ & Hassiæ Landgravii. Verum hi non uti Imperatores & Reges throno, sed equo insident, habitu bellico ornati, galea cincti, dextra gladium strictum, vel vexillum vibrantes, altera manu scutum præferentes.

Quatuor circa Sigilla potissimum observanda sunt: I Materia Sigillorum II Modus annectendi sigilla III effigies regis vel imperatoris, quæ in sigillo repræsentatur, & IV denique inscriptiones sigillorum. *Materia* sigillorum varia est & potissimum quadruplex: Aurea, argentea, plumbea & cerea; præ-

va-

valuit autem *cera* ob materiæ villitatem & mollitiem cæteris ad usum accomodatior.

Aureorum sigillorum, quæ proprie *Bullæ* vocantur inventores, feruntur Imperatores Constantinopolitani; in occidente nemo ante Carolum M eas adhibuit, quem ex Germ. Imperatoribus potissimum Otto I Otto III Conradus II, Henrici III IV. V. VI. Conradus III Fridericus I & II Rudolphus I Ludovicus Bavarus, Carolus IV, Sigismundus, Fridericus III, ejusque deinceps successores omnes secuti sunt. Adhibebantur tantum in gravioribus negotiis, in quibus ipsa imperii majestas id postulare videbatur. Bullæ *argenteæ* rarissimæ sunt, Imperatores tantum Byzantini interdum argento diplomata signabant; *ænea* quoque & *stannea* rarius inveniuntur sigilla, tanto frequentiores sunt *Bullæ plumbeæ*, quarum antiquissimus usus est, potissimum autem iis utuntur Pontifices Romani jam inde a Sæculo VII, easque sibi quasi proprias fecerunt, In *colore ceræ* in sigillis usurpatæ multum variatum est, dantur sigilla alba, flava, rubra, viridia, cærulea & nigra. *Albis* usi sunt Imperatores tam francici quam germanici ab ultimis Merovingis usque ad Fridericum III. Quædam ex illis præcipue antiquiora luteum colorem præ se ferre creduntur, quod temporis diuturnitati tribuendum est; sigilla *flava* Sæc. XII invaluerunt; Sæc. XIV & XV monasteria & privati etiam eorum usum sibi adoptarunt. *Rubræ* ceræ usus in Germania serius invaluit, primus eam adhibuisse Fridericus I dicitur, post interregnum frequentior facta est, & hodie vel maxime viget. Pontifices Romani a multis jam retro sæculis brevia annulo piscatoris in cera rubra signare solent Sigilla *viridia* in Gallia, ubi nunc quoque magno in pretio habentur, non ante

Sæc.

Sæc. XII, in Germania autem Sæc. XIV innotuerunt, in Anglia denique eorum usus litteris tantum, quas *Chartas* sive *Charters* vocant, signandis reservatus est; *nigris* Magni Ordinis Teutonici & Melitensis Magistri utuntur.

Sigilla vel ipsis diplomatibus *impressa*, vel e filis, chordis, lorisve membranaceis *appensa* deprehenduntur. Primus modus placuit Francis, ab his ad Germanos translatus est. Membrana ea parte, cui sigilla impressa sunt, in crucis modum incidebatur, deinde cera ex utroque latere scissuræ isti cruciformi sigillum intrinsecus ceræ imponebatur ita, ut intrinsecus & ex rinsecus quasi cohæreret. Cum vero hic modus fraudibus valde pateret, alter, sigilla nempe cerea capsulis conclusa adpendendi, quod cum bullis aureis & plumbeis jam longe antea usitatum fuit, post Friderici I mortem in Germania inolevit.

Locus ordinatius sigillorum impressorum in Diplom. regiis & imperialibus ad dextrum Diplomatum latus fuit, ac in Merovingicis quidem sigilla paulo supra ultima Dati verba, in Carolingicis post, aut supra signum recognitionis Cancellariornm, & in posterioribus e regione signi & recognitionis Cancellariorum; interdum vero etiam infra Datum collocata fuerunt. In Diplom., quorum sigilla perierunt, vestigia quædam fusci coloris eo in loco, quem Sigilla occupabant, plerumque impressa cernuntur, ex quorum figura & ambitu sigillorum & ipsorum Diplomatum ætas ac fides æstimari potest. Sigilla pendula semper fere ex inferiore Chartarum ora, raro ex su-

pe-

str. 81–94 pretożona

SCUTUM CÆSAREUM.

Imperii Romani insigne est aquila nigra biceps, lingua, rostro, & cruribus coccineis, & circulo in capite eiusdem coloris in solo aureo; unguibus dextris tenet gladium & sceptrum, sinistris pomum imperiale. In ejus medio est insigne majus, quod parmulam, & cor scuti complectitur.

Cor scuti perpendiculariter divisum in parte dextra habet fasciam argenteam in campo rubro, quæ *Austriam* denotat; in sinistra balteum rubrum, tribus aquilis argenteis ornatum, in campo aureo propter *Lotharingiam*. Fasciam aliqui cum Cuspiniano Danubium repræsentare credunt, qui Austriam secat; communis traditio est: Leopoldum VII. in expeditione Henrici VI. in Palestinam A. 1191. adeo fortiter se gessisse, ut primus propugnaculum civitatis Ptolemaidis conscendens, totam vestem, candidam prius, cruentam retulerit, excepta parte, quam cingulum militare tegebat. Lotharingiæ scutum primus cum Austriæ scuto conjunxit JOSEPHUS II.

Parmula major per duas perpendiculares, totidemque horizontales in 9 quadrantes divisa est, quibus adhuc in pede triquetrum insertum est.

Quadrans I. habet in campo viridi gryphum argenteum absque alis, ſcintillas ex auribus, naribus & ore vibrantem propter *Styriam*. Ottocarus V. ultimus Styriæ dux A. 1193. improlis defunctus conſenſu ordinum Ducatum Leopoldo VII. ex Domo Babembergica, cognato ſuo, vendidit.

II. Bipertitus d. p. tres leones nigros gradientes in campo aureo, s. faſciam argenteam in campo rubro exhibet propter *Carinthiam*. Inſigne hoc ex Auſtriaco & Svevico compoſitum ab Ottone ſecundo, qui utrique ducatui præerat, originem ducere videtur. Accepit hic Carinthiam ab Henrico, ultimo ex ſtirpe tyrolenſi duce, A. 1331. defuncto.

III. Habet in campo argenteo aquilam cæruleam, corona, roſtro & cruribus coccineis, quæ pectore lunulam exhibet ductu gemino teſſellarum ex argento & minio variegatam propter *Carnioliam*. Hanc ditionem ipſi proceres, cum eorum princeps, ultimus Marchio Craynburgi, ſine prole deceſſiſſet, Friderico Bellicoſo, fama virtutis eius moti, tradidere. In cuius gratiam Fridericus II. Imp. qui illam traditionem confirmavit, ex Marchionatu ducatum fecit.

III. In campo aureo tria nigra cornua cervina ſibi incumbentia ob ducatum

Wür-

Würtemburgicum, in quem jus ſucceſſionis domus auſtriaca ſub Rudolpho II. acquiſivit:

V. Siſtit tres Leopardos gradientes nigros in ſcuto aureo ob principatum *Sueviæ*, cuius maximam partem jam a Rudolphi I. tempore domus auſtriaca poſſidet; Carolus V. primus eum ſcuto inſeruit, ſeque Sueviæ ducem & ſcribi & nominari iuſſit.

VI. In ſcuto aureo leonem rubrum corona, lingua & falculis cæruleis ob comitatum *Habsburg* in Helvetia ſitum. Eſt antiquiſſimum hoc domus auſtriacæ patrimonium, quod modo Helvetis ſubjectum eſt.

VII. Habet in campo argenteo aquilam rubeam, cuius corona, roſtrum, crura & ſemi circuli trifoliati alis impreſſi auro fulgent, ob comitatum *Tyrolenſem*, qui per ſpontaneam ceſſionem Margarethæ, Henrici Ducis Carinthiæ & ultimi Comitis Tyrolenſis filiæ, ad Rudolphum IV. eiusque fratres devolutus eſt; donationem hanc confirmavit Carolus IV. dato diplomate A. 1364.

VIII. Per diagonalem bipertitus ſiſtit in parte d: duos baltheos rubros in campo argenteo; in s. Leonem aureum in campo cæruleo ob comitatum *Goritienſem*. Ultimus Goritiæ comitum Leonhar-

dus A. 1500. improlis decessit, & ex pacto inter fratres inito comitatus ad Austriacos sub Maximiliano I. translatus est.

IX. Balthei rubei in campo argenteo, intermedio palo aureo, ob comitatum *Burgau* in Suevia situm, quem jam Rudolphus I. filio Rudolpho cum consensu electorum & principum in feudum dedit.

Triquetrum exhibet crucem argenteam in anchoram desinentem, cujus superior pars in aureo, inferior in cæruleo campo ob comitatum *Gradisca*; & hic comitatus simul cum Goritiensi sub Austriacorum potestatem venit.

Scutum majus per plures perpendiculares, pluresque transversas lineas divisum, præter inserta triquetra, octo nobis exhibet quadrantes.

Quadrans I. in medio habet insigne *Ungariæ*, parmulam nempe perpendiculariter divisam; in parte d: cernuntur 4 fasciæ albæ in campo rubeo, denotari per eas quatuor præcipuos regni fluvios: Danubium, Savum, Dravum & Tibiscum communis est opinio; in parte s: est crux patriarchalis argentea coronæ & triplici colliculo viridi insistens, ob coronam a Pontifice Sylvestro II. S. Stephano Regi A. 1007. submissam. Albertus Austriæ Dux, qui Elisabetham Sigis-

mundi

mundi Imp. & Regis filiam in uxorem duxerat, primus Hungariam, ac reliqua ad eam ſpectantia regna obtinuit A. 1438. Areola I. hujus Quadrantis habet ſcutum *Dalmatiæ*, tria nempe Leopardorum capita aurea coronata in campo cæruleo. II. Scutum *Croatiæ* argenteis rubeisque teſſellis ornatum. S. Ladislaus primus Dalmatiam æque ac Croatiam ſuæ monarchiæ jure perpetuo adjunxit. III. Scutum *Sclavoniæ* inter duas in modum undarum formatas faſcias in campo viridi currentem martem (einen Marder) in capite ſcuti cæruleo ſtella aurea apparret; pes quoque ſcuti cæruleus eſt; duæ faſciæ Savum & Davum denotant, quos inter Sclavonia ſita eſt. IV. Regio perpendiculariter diviſa exhibet in parte d. in campo cæruleo tres coronas radiatas aureas propter regnum *Galiciæ*; in parte ſiniſtra duas faſcias ex argenteis rubeisque teſſellis in campo cæruleo ob regnum *Lodomeriæ*. Hæc regna jam ineunte ſæculo XIII. a proceribus Colomanno Ungariæ Regi collata ſunt, Regesque Ungariæ titulos & inſignia eorum ſemper præſetulerunt, donec tandem M. THERESIA A. 1773. antiqua iura vindicaſſet.

Quadrans II. in parte s. ſiſtit in parmula media ſcutum *Bohemiæ* leonem nempe argenteum, erectum, corona aurea

&

& bisulca cauda insignem in campo rubeo. In area I. cernitur in scuto cæruleo aquila argenteis & rubris tessellis variegata ob Marchionatum *Moraviæ*; in area II. Aquila nigra coronata cum lunula & trifoliis argenteis in pectore in campo aureo ob *Silesiam*; in area III. Murus aureus in pinnas assurgens in campo cæruleo propter *superiorem Lusatiam* in III. bos ruber ventre albicante in scuto argenteo propter *Lusatiam inferiorem*. Bohemicæ ditiones quoque nuptiis Alberti, inter Imperatores II. ad domum Austriacam devolutæ sunt; Lusatia vero nunc Electori Saxoniæ paret.

Quadrans medius in capite scuti ditiones *Hispanicas* designat: Castellum nempe aureum, porta & fenestris cæruleis, in campo rubro regnum *Castiliæ*; Leo ruber in campo argenteo regnum *Legionis*, quatuor pali rubri in campo aureo *Arragoniam*, scutum decussatim scissum, in cuius superiori & inferiori area insigne Arragoniæ, in utroque vero latere aquila nigra in campo argenteo cernitur, *Siciliam*. Regna Hispanica ex Domo Habspurgica primus possederat A. 1504. Philippus Maximiliani I. filius, Ferdinandi Catholici gener, ex cuius Filia Joanna Carolum V. Hispanorum Regem & Romanorum Imperatorem susce-

pe-

perat; post atrox cruentumque bellum præsenti sæculo Duci Andegavensi cedebantur.

Quadrans IV. in campo aureo exhibet quinque globulos rubros, super quos unus eminet cæruleus tribus liliis francicis exornatus ob magnum Ducatum *Hetruriæ*, qui cum ultimus Dux improlis obiisset, domui Lotharingicæ collatus est.

Quadrans V. Sistit fasciam rubram, in capite scuti emergens aquila nigra, media inte solem & lunam, in pede scuti septem castella rubra ob magnum principatum *Transylvaniæ*, qui pace Carolovicensi perpetuo jure Regno Ungariæ adjectus est.

Quadrans VI. habet in parmula media, pileo ducali tecta, tres baltheos cæruleos in campo aureo, circumdatos ora rubra ob *Burgundiam*. Areola I. nigra exhibet leonem aureum propter *Brabantiam*. II. argentea leonem rubrum propter duc. *Limburg*. III. argentea, quam intersecant fasciæ cæruleæ, Leonem itidem rubrum ob duc. *Luxemburg*. IV. aurea Leonem nigrum ob Comitatum *Flandriæ*. Triquetrum primum horizontaliter divisum exhibet in superiori campo aquilam nigram bicipitem, in inferiori argenteo castrum rubrum tribus turribus munitum, additis duabus abscissis manibus ob Marchionatum *Antwerpiæ*.

Triq:

Triq: II. in campo aureo Leonem nigrum, per quem tranſit baltheus ruber propter Comitatum *Namur*. Auſtriacæ Domus jus in ſingulas Belgii provincias oritur ex coniugio Mariæ Burgundicæ hæredis Caroli audacis cum Maximiliano Auſtriæ Archiduce ac dein Imperatore.

Quadrans VII. Siſtit ditiones *Italicas*, in area quidem prima perpendiculariter diviſa in p. d. aquilam nigram in campo aureo commune *Lombardiæ* Symbolum, in s. ſerpentem cæruleum ternis gyris in palum ſeſe erigentem erumpente ex faucibus infantulo coccineo in campo argenteo propter ducatum *Mediolanenſem*; in area ſecunda crucem rubram in campo argenteo, ad quatuor latera ſunt aquilæ nigræ propter ducatum *Mantuanum*; in triquetro ſex lilia cærulea in aureo campo propter *Parmam* & *Placentiam* proprium domus Farneſiæ ſcutum. Ditiones hæ Italicæ una cum hæreditate Hiſpanica ad domum Auſtriacam devolutæ ſunt. Poſteriores duo ducatus pace Aquisgranenſi proprios ex domo Bourbonica duces accepere.

Quadrans denique VIII. Siſtit inſignia *Lotharingica* ac quidem in parmula argentea *Hieroſolymitanas* cruces, auream nimirum majorem patibulatam, & minores

nores quatuor, impoſita eſt corona antiqua regum radiata. Area I. cærulea liliis francicis ſpargitur & limbo circumdatur rubro, qua *Andina* prior regia familia notatur, quæ regnum *Neapolitanum* tenuit. II. cærulea duos mullos barbatos obverſos aureos exhibet, adjectis ex quatuor lateribus acuminatis crucibus itidem aureis propter ducatum *Bar.* III. cærulea leonem aureum propter ducatum *Geldriæ.* IV. Aurea leonem nigrum propter ducatum *Juliacenſem.* Triq. I. aquilam auream in campo cæruleo propter duc. *Teſchen.* II. rotam argenteam in campo cæruleo propter comitatum *Falkenſtein.*

Scuto maiori incumbit ex p. d. Corona Ungarica, ex s. Bohemica. Cingitur Ordinibus aurei Velleris, M. THERSIÆ & S. Stephani. Inſignia ordinis aurei velleris a Philippo bono Burgundiæ duce A. 1430. fundati primus recepit Maximilianus I. reliquos ordines fundavit M. THERESIA. Telamones ſunt duo gryphi alati, primus his uſus eſt idem Maximilianus, ac dein Leopoldus I.

Scutum Regum Portugalliæ.

Scutum eſt argenteum, & quinque parmulas repræſentat cæruleas in crucem dispo-

dispositas. Singulæ autem parmulæ quinis nummis Byzantinis argenteis in decussim positis onerantur. Scuto circumdatur limbus ruber septem castella aurea referens, imposita his est galea coronata, ex qua erumpit draco aureus, cingitur catena ordinis JESU Christi, telamones sunt dracones duo vexilla, insignibus regiis depicta, gestantes.

Scutum Regum Hispaniæ.

Scutum per perp. & diag. lin. in IV. Quadrantes divisum est, in medio habet parmulam, inferius triquetrum, Parmula repræsentat lilia francica limbo rubro inclusa, regia equidem familia, quæ nunc Monarchiæ præest, ex domo Bourbonica descendit. Quadrans I. area 1 & 4 habent insigne *Castiliæ*. 2. & 3. *Legionis*; II. pars d. *Arragoniæ*, s. *Siciliæ*. III. pars superior *Austriæ*, inferior *Burgundiæ veteris*. IV. *Burgundiæ novæ*, Scutum nempe cæruleum francicis liliis sparsum, & limbo ex rubro & argento tessellato cinctum; pars inferior *Brabantiæ*. In triquetro argenteo sistitur malum punicum ramulo & foliis viridibus, hiante cortice, granulis coccineis propter Regnum *Granadæ*, cingitur Catena ordinis aurei velleris.

Scutum Regum Franciæ.

Insigne Franciæ ex duobus coniunctis scutis constat; dextrum cæruleum est, & tres aureos liliorum flores exhibet propter *Franciam*; Sinistrum rubrum est, & sistit catenas aureas bis in quadro & in modum crucis ordinariæ & decussatæ positas, Smaragdum medium continentes, propter regnum *Navarræ*. His clypeis imposita est præter galeam corona quoque clausa, laciniæ dependentes scuti colores imitantur, cæruleæ auro reflexæ, omnia hæc tegit papilio regius cæruleis liliis scuti pictus, & pontici muris pellibus exornatus, imposita fastigio corona liliata & vexillo itidem liliato ex hasta dependente. Telamones sunt duo Angeli tunicis fecialibus cum typis scutariis induti, vexilla quoque armis francicis ornata tenentes; addita vulgo est superius tessera militaris *Mont Joye S. Denis*, dependent catenæ Ordinum S Michaelis & S. Spiritus; primum fundavit Ludovicus XI. A. 1469. alterum Henricus III. A. 1579.

Scutum Britannicum.

Scutum magnæ Britanniæ in quatuor areas divisum est. Area I. perpend. secta sistit in latere d. rubeo tres Leopardos aureos incedentes, altero alteri superimposito propter *Angliam*; in sinistro aureo Leonem rubrum erectum, & inclusum limbo rubro externe liliis dimidiis etiam rubris exornato propter Regnum *Scotiæ*. Area II. lilia *Francica*, III. cærulea psalterium aureum cum chordis argenteis ob Regnum *Hiberniæ* exhibet. Area IV. per pendicularem in duas partes divisa in medio habet parmulam, inferius triquetrum; in d. latere rubro sunt duo Leopardi aurei gradientes propter ducatum *Brunswicensem*, in s. Leo ruber in campo aureo cordibus rubris conspersso propter ducatum *Lüneburgensem* in triquetro rubro equus argenteus currens propter domum *Saxonicam*; parmula denique rubra coronam auream Caroli M. repræsentans munus *Archithesaurarii* Imperii Romani denotat. Scutum cingitur subligaculo genuali cæruleo ordinis equestris S. Georgii constricto aurea fibula & inscriptione *Honi soit, qui mal y pense.* Fundatus est hic ordo ab Eduardo III. A. 1350. Imposita est corona consueta angli-

anglica; telamones sunt Leopardus coronatus & equus unicornis argenteus, itidem corona anglica circa collum, & dependente catena aurea. Subjicitur vulgo scuto programma regium francica lingua conceptum: *Dieu & mon Droit.*

Scutum Regum Sueciæ.

In quatuor areas divisum est, & parmulam tam majorem quam minorem continet; in Area I. & IV. sunt tres coronæ aureæ in campo cæruleo propter Regnum *Sueciæ*; in II. & III. in campo aureo tres balthei cærulei ad modum undarum efformati, quibus imminet leo ruber coronatus, propter Regnum *Gothorum.* Parmula minor cærulea habet Leonem coronatum decem tæniis transversis argenteis & rubris distinctum propter *Hassiam.* Parmula maior sex areas complectitur. I. argentea habet crucem rubram patriarchalem propter *Hirschfeld.* II. transverse secatur, parte superiori nigra stella aurea fulget, inferiori parte auro puro tincta est propter comitatum *Ziegenhain.* III. aurea Leopardum rubrum erecto situ propter comitatum *Cazenelenbogen.* IV. rubra duos Leones aureos gradientes propter comitatum *Diez.* V. ex nigro

gro & auro transversè secta in superiori nigricante stellas duas aureas propter comitatum *Nidda*. VI. denique rubra urticam candentem trium foliorum cum totidem clavis continet propter comitatum *Schaumburg*. Corona regia scuto imposita est, telamones sunt duo leones.

Scutum Regum Daniæ.

Scutum Daniæ per crucem argenteam ora rubra circumdatam in quatuor areas dividitur, simulque parmulam tum maiorem, tum minorem complectitur. Area I. aurea & corculis rubris sparsa tres cæruleos Leopardos refert propter *Daniam* II. rubra leonem aureum bipennem argenteam tenentem propter *Norwegiam*. III per horizontalem divisa in sup. parte tres *Sueciæ* coronas, in inferiori aurea duos leones cæruleos propter ducatum *Schleswig*. IV. itidem horiz: divisa in sup. p. aurea leonem cæruleum, sub quo triplici ordine disposita novem corcula rubra propter *Gothiam*. in infer. rubra draconem coronatum aureum propt r Regnum *Vandalorum*. Parmula maior in tres areas divisa, exhibet in prima scutum Com: *Schaumburg*, in II. rubra cygnum argenteum pedibus nigris, cuius

collo

collo inſerta aurea corona propter *Stormariam* in III. rubra cataphractum aureo thorace equo albo inſidentem, & ſtricto gladio minantem propter *Dietmarſiam*. Parmula minor perpend. diviſa habet in d. p. in campo aureo duas faſcias rubras propter Comitatum *Oldenburg*, in s. crucem auream in campo cæruleo propter Comitatum *Delmenborst*. Superius imminet corona regia, dependent catenæ ordinis Danebrog & Elephantis; primum fundavit Woldemarus II. A. 1219. reſtituit Chriſtianus V. A. 1671. alterum Chriſtianus I. A. 1458. Telamones ſunt duo viri ſylveſtres, totum tegitur tentorio regio.

Scutum Regum Poloniæ.

Scutum Poloniæ quadripertitum eſt. Area I. & IV. rubea exhibet Aquilam argenteam, corona, roſtro & cruribus aureis propter *Poloniam*, II. & III. itidem rubea cataphractum equitem argenteum ſtrictum enſem dextra tenentem, s. ſcutum cæruleum patriarchali cruce aurea inſignitum, inſidentem equo argenteo cæruleis phaleris inſtructo propter Magnum Ducatum *Lithuaniæ*. Bos rubeus in campo argenteo, gentilis teſſera Familiæ

miliæ *Poniatowſkianæ*, conſtituit parmulam mediam. Scuto imponitur galea aperta huic corona regia, apicis loco eſt aquila argentea, laciniæ ſunt argenteæ & rubræ.

Scutum Regum utriusque Siciliæ.

Quinque areas complectitur. I. & IV. ſiſtit campum cæruleis liliis ſparſum propter Regnum *Neapolitanum*. II. quadripertita habet in 1 & 4 regione ſcutum *Caſtiliæ* in 2. & 3. Scutum *Legionis* III. perp: diviſa ex p. d. Scutum *Portugalliæ*, s. *Burgundiæ veteris*; adjectus his eſt in triquetro aureo Leo niger propter *Flandriam*. V. exhibet inſigne M Ducis *Hetruriæ*; parmula media lilia francica circumdata limbo rubeo, ad deſignandam regiæ ſtirpis progeniem. Imminet corona regia.

Scutum Regum Sardiniæ.

Scutum quadripartitum. Area I. denuo in quatuor regiones diviſa exhibet in 1. crucem *Hieroſolymitanam*; in 2 transverſis decem faſciis argenteis & cæruleis leonem rubeum propter regnum *Cypri*,

periore, vel ex utroque latere dependent, Fila & colore & materia inter ſe differunt Alia ſunt membranacea, alia coriacea, alia ſerica, aut unius aut diverſi coloris, in membranaceis id ſingulare, quod ſæpe lora ex ipſis membranis, quibus Diplomata inſcripta ſunt, excidebantur, interea etiam nomina eorum, quorum ſigilla Chartis appendenda erant, vel loris membranaceis, e quibus pendent, vel ſupra inciſuras, quibus lora innexa erant, a notariis adſcribebantur.

Antiquiſſima ſigilla principum imagines, ſed pro varietate temporum etiam varias, nobis exhibent. In *Merovingicis* nuda tantum regum capita rudi admodum cælatura expreſſa ſunt, quod vel ideo non eſt mirandum, quia reges Francorum primæ ſtirpis ſignarunt annulis, in quibus præter caput nihil fere exprimi ſolebat. Sigilla *Carolingicæ* ſtirpis dimidiatam regis effigiem ſeu ſuperiorem corporis partem exhibent, in *Germanicis* majorem jam majeſtatem præſeferunt, principes quippe, licet tantum umbilico tenus, tamen iam coronati, dextra lanceam vexillo ornatam, ſiniſtra ſcutum tenentes repræſentantur. Otto I auguſta dignitate potitus ſceptrum & globum adhibuit, a quo tempore origo globi imperialis apud Germanos repetenda videtur. Otto III denuo elegantiori figura ſtans & integer, indutus amictu regio, & corona, ſupra quam ſtella ſex radiorum eminet, clauſa ornatus, dextra baculum regium magnitudine ſui integra te-

 nens,

nens; & sinistra globum exhibetur. Henricus denique II primus sigilla Maiestatis, de quibus superius egimus, introduxit.

Aquilæ usus in sigillis ante tempora Ludovici Bavari nullus fuit. Primus hic sigilla aquila exornavit, simplici vero, non bicipite. Eundem morem tenuit Carolus IV, qui initio simplicem tantum in utroque latere expressam adhibuit, postea vero duas has alas in unam quasi conflavit, & aquilam bicipitem finxit. Perperam ergo prima aquilæ bicipitis origo Sigismundo Imp. adscribitur. Quum vero Imperatores promiscue modo simplici, modo bicipiti aquila uterentur, usque ad Carolum V; ab ejus tempore constans aquilæ bicipitis usus in insignibus imperii derivandus est.

Quo antiquiora sigilla sunt, eo simpliciores *inscriptiones* habent. Tantum enim abest, ut longo titulorum ordine Imperatores regesque delectati olim sint, ut vix dignitatum aut Provinciarum, quibus præessent, meminerint; successu temporis, & potissimum a Sæc. XII longiores factæ sunt inscriptiones, regisque titulo adjecta est vox *Romanorum*, tandem etiam aliarum Provinciarum & terrarum hæreditariarum nomina illata sunt, & in Germania quidem ab Henrico VI, in Gallia a Ludovico VII.

Potissimum cruces præmissæ reperiuntur, quarum usus constanter usque ad Sæc. XIV duravit; sequebatur deinde vox *Sigillum* vel integris litteris, vel siglis aliisque scripturæ compendiis exarata, ac tandem post nomen Principis Formula,

Dei

Dei Gratia vel ei similes: *Dei misericordia, nutu &c.*

Denique nec id prætermittendum videtur, diversas fuisse sigillorum *figuras*. Antiquissima est *Orbicularis*, quæ & *Merovingis* placuit, quamque Imperatores germanici, paucis exceptis, retinuerunt. Principum quoque sigilla plurima sunt *orbicularia*. *Parabolica oblonga*, *triangularia* & *quadrata* recentiorum sunt temporum, & rarius, vix unquam ab Impp. & Regibus Germaniæ usurpata videntur.

Subnectemus hic regulas ad discernenda sigilla supposititia apprimis necessarias. 1 Sigilla, quo antiquiora sunt, eo minus habent elegantiæ, & omnia medii ævi sunt simplicissima 2 Sigilla Carolingorum, Saxonicorum & Franconicorum alius coloris, quam candidi, ceræ impressa suspecta sunt, uti etiam illa, quorum cera adhuc mollis & pinguis videtur. 3 Sigilla cerea ante Sæc. XII appensa in dubium vocanda. 4 Fraudem produnt sigilla, quæ Regis vel Imperatoris imagine carent, præsertim si in Diplomate imaginis fiat mentio; quæ gentilium deorum imagines, aut ante Sæc. XI insignia gentilitia, aut scuta ad heraldicæ artis regulas composita, & ante Henrici II tempora Reges throno insidentes repræsentant. 5 Si in sigillo antiquiori titulus prolixior, & ad hodiernum morem compositus, si nomen proprium, quod nondum in usu fuit, aut si formula quædam recentior habetur: merito de ejus fide dubitatur. 6 Si denique sigillum figuram longe recentiorem habet, quam Diplomatis ætas ferre potest, illud merito inter adulterina est referendum.

APPENDIX
DE ARTE HERALDICA.

Ars Heraldica, ab Heraldis five Fecialibus, alias *Armorialis* ab armis feu infignibus, item *Scutaria* vel *Tefferaria* a fcutis & tefferis fcutorum dicta, eft Difciplina, qua illa omnia, quæ ad infignium conftruendorum, refolvendorum, feu examinandorum notitiam, eorundemque hiftoriam, nec non ufum & jura fpectant, dilucide proponuntur, Agit igitur præcipue I de Infignium definitione, divifione, & origine, II de Scuto tanquam primario infignium fubjecto, III de Tincturis IV de Figuris tam honorabilibus quam vulgaribus V de Galea & ejufdem ornamentis VI de reliquis, quæ fcuto adjacent.

I *Infignia*, alias etiam *arma* dicta, quod primitus præcipue fcutis atque armis militum infcripta fuerint, funt tefferæ feu figna honorum fymbolica, fub involucro variarum tincturarum atque figurarum ex fummi Principis voluntate certis Perfonis aut familiis communitatibusque quoddam jus aut ornamentum, vel etiam Criterium elargientia.

Alia

Alia illorum ſunt *dignitatis*, alia *Dominii*, alia *Communitatis*, alia denique *Familiæ*, quamvis eorum plura ſæpius in. uno ſcuto conjungantur. Pertinent ad ea præcipue ſcutum, galea, & ornamenta galeæ, nec non Telamones & alia adjacentia.

Originem Inſignium quidam ab hieroglyphicis figuris, alii a primis Germanis, qui teſte Tacito ſcuta lectiſſimis coloribus diſtincta præſeferebant, alii a Caroli M. Temporibus occaſione bellorum Saracenicorum, ut eſſent diſcernicula tot populorum & copiarum, alii denique ab Henrico Aucupe Sæc. X una cum ludis equeſtribus derivant. Veriſimillima tamen & pleriſque eruditorum comprobata videtur eorum ſententia, qui demum temporibus expeditionum Chriſtianarum adverſus infideles, inprimis a Duce Godefr. Bullioneo A. 1099, nec non Imperatore Friderico Barbaroſſa A. 1190 ſuſceptarum, non ſolum uſum inſignium conſtantem in familiis increbuiſſe, ſed & artem Heraldicam ad certam præceptorum normam fuiſſe excultam referunt.

II Scutorum *figura* fere *quadrata* eſt, niſi quod inferius rotunda in cuſpidem deſinat, Hiſpanorum tamen plerumque ſine cuſpide apparent; apud Italos, præcipue apud eccleſiaſticas perſonas adhuc in uſu ſunt *Ovalia*; *Rhombata* ad modum Rhombi vel duplicis

trianguli formata, nec non *perfecte Quadrata* rarius occurrunt.

Quod *situm* attinet, plerumque stant hodie *erecta*, rarius aut versus dextram, aut versus sinistram sunt *inclinata*; *inversa* cernuntur in sepulchralibus eorum monumentis, qui ultimi nobilem quamdam stirpem clauserunt.

Scutum priscis *dividebatur* rarius. Simplicitas enim & antiquitatis & nobilitatis nota haud dubia est, hodie tribus potissimum modis secatur aut *perpendiculariter*, aut *horizontaliter* aut *diagonaliter*, idque vel a dextris ad sinistram, vel a sinistris ad dextram, & quidem sectione vel *simplici* seu singulari, vel *plurali*, si lineæ perpendiculares, horizontales aut diagonales sæpius repetuntur. Dividuntur etiam scuta in *regiones* plures aut pauciores pro diverso sectionis transversæ numero. Si bis æquali distantia transversim secatur scutum, tres inde existunt regiones: superior *Cephalica*, media *Fascialis*, infima *Perigæa* dicitur, quibus si adhuc duæ accedunt transversæ lineæ, *Honoraria* & *Umbilicaris* adjunguntur. *Puncta* vero seu *Centra* non nisi tria recepta sunt: punctum scilicet *honoris*, *cordis* & *umbilici*. Sunt & aliæ divisiones, quas irregulares vocant, ut *pinnarum*, *graduum* ad instar, & *dentes* serræ majoris vel minoris referentes.

Con-

Conjunguntur ſcuta vel *adunatione* per ſectiones qualescunque, vel *juxta poſitione*, quando ſcuto principali ſcutula minora plerumque per orbem, interdum ad Rhombi modum circumponuntur, vel *inſitione*, quando ſcuto majori parmulæ minores inſeruntur, vel *colligatione*, ſi ſcuta diverſa tæniis colligantur, vel denique *conglutinatione*, ſi duo quaſi glutine jungantur, eaque integra non mutilata appareant, qualia plerumque ſunt conjugum.

III Per *Tincturas* intelligimus varia metallorum colorumque pigmenta, quibus ſcutorum imagines præſentantur, & diſcernuntur. Nullius eſt metalli uſus niſi *auri* & *argenti*; colores numeramus præcipue quatuor, *rubeum*, *cæruleum*, *viridem*, & *nigrum*, quibus nonnulli *purpureum* addunt. Modus hos colores absque tincturis deſignandi, ſequens invaluit: *Aurum* notatur punctulis, *argento* tingenda relinquuntur alba, *rubeum* colorem ſignificant lineæ perpendiculares, *cæruleum* horizontales, *viridem* diagonales dextræ, *purpureum* diagonales ſiniſtræ, *nigrum* denique cancelli ſeu lineæ perpendiculariter & horizontaliter ſeſe interſecantes. Alii colores: roſeus, aurantius, caſtaneus, cinericius, violaceus rarius occurrunt. Sæpe tamen res etiam naturales ſuis nativis coloribus v. g. membra humana nuda, cum primis facies & manus *carneo* exhibentur.

His coloribus adjunguntur etiam pelles duæ *Hermelinæ* & *Velius varium* alias *pileoli ferrei* dicti. Communis hæc de tincturis notanda est regula: *ne metalla metallis, colores coloribus inscribantur*, & si scutum in quatuor partes dissectum est, in areis oppositis alternent plerumque colores & figuræ oportet; v. g. si in area prima & quarta sit aquila nigra in campo aureo, in secunda & tertia erit aurea aquila in nigro campo, aut si duæ figuræ similes v. g. duo canes pone jungantur in duobus campis, alternant quoque arearum & figurarum tincturæ, unus nimirum aureus in campo rubro locabitur, rubeus alter in campo aureo.

IIII Figuræ, quæ in insignibus occurrunt, sunt aut *Honorabiles* aut *Vulgares*. Illæ vel sunt *primi* generis vel *secundi*, aut etiam *imminutæ*. *Primi* generis figuræ sunt: *Cephalus* seu caput scuti 2 *Fascia* seu zona 3 *Palus* seu columna 4 *Baltheus* dexter & sinister 5 *Cantherius* seu tholus 6 *Quadrans*, 7 *Triens inferior*, 8 *Medulla* seu cor scuti 9 *Limbus*, Orarium, seu Fimbria 10 *Orula* seu limbus interior 11 *Pinula Triangula*, ac tandem 12 *Crux*, quæ iterum aut in anchoras, serpentes, lilia, aut hamos desinit, aut Andreana seu decussata, Theutonica, Melitensis, Lotharingica, Patriarchalis, Archiepiscopalis, aut S. Antonii est. Priores harum figurarum, si exigua forma apparent diminu-

tæ,

tæ, *Fasciolæ*, *ligulæ*, *virgulæ*, *fila* &c. nuncupantur.

Figuræ honoris *secundi* generis sunt Tesselæ, Rhombi, Cunei, Annuli, Schedulæ, Cancelli, Cuspides, Orbes, aut Globi. Omnes hæ utriusque generis Figuræ varia adhuc ab aliis adfectionibus sortiuntur nomina, nunc enim fluctuantes, dentatæ, striatæ, tuberculatæ, pinnatæ, scalatæ, truncatæ, tesselatæ, rhombatæ, clathratæ, nebulatæ, mox vestitæ, variis ornamentis excultæ, marginem scuti non attingentes, acuminatæ, decurtatæ, aliis figuris ad latera auctæ &c. apparent.

Figurarum *Vulgarium* aliæ sunt *naturales*, aliæ *artefactæ*. *Naturales* vocamus illas, quæ illa omnino forma, qua natura easdem dotavit, aut paucis adjectis in scuto collocantur, ut sunt: Homo, Quadrupedia, Volatilia, Insecta, Pisces, Arbores, & Frutices, Plantæ, & Herbæ, Flores, inanimatæ ut Sol, Luna, Stellæ, Montes, Lapides, & Gemmæ. Sub figuris artefactis comprehenduntur: Utensilia & instrumenta varia ex apparatu rerum tam ecclesiasticarum quam profanarum, Vestes & ornatus corporis, Arma & apparatus militaris, ædificia ac denique Voces & Lemmata. Figuræ naturales a variis adfectionibus jam currentes, salientes, pascentes, ad pugnam ruentes, fugitivæ, sedentes, natantes, jam ad dex-

 trum

trum vel finiftrum latus converfæ, integræ, vel mutilatæ, prorumpentes, coronatæ, ore roftro vel ungulis quid tenentes &c. dicuntur.

Si plures ejufdem aut diverfi generis figuræ in eodem fcuto componantur, hic ordo obfervari folet. In fcutis *perpendiculariter* vel *horizontaliter* fectis digniora in fupremæ regionis areis, feu ordine primo, reliqua in reliquis collocantur, facto femper initio a dextra verfus finiftram. In fectis *paliter* palus medius & quidem fuperior ejus area præcipua infignia, in fectis per *decuffim* caput & pes ea continent. Interdum tamen præcipua figura non in prima regione, fed in peculiari parmula, vel in centro totius fcuti collocatur. In fcutis non fectis, fi *duabus* figuris infignita funt, una vel fupra, vel penes alteram collocatur, fin *tribus*, palum imitantur, vel triangulum, fi *quatuor*, in capite unam, in pede alteram, reliquas cernes ad utrumque latus, fi *quinque*, quam figuram etiam rhombum dicimus, referent formam crucis.

V *Galea* feu Caffis eft proprie tegmen capitis bellicum. Ut enim fcuto corpus, ita galea caput obtegebant milites, & hinc utrumque in infignia receptum. Prifcis temporibus pro galea ferarum exuviæ fuerunt, exertæque per earum rictus militum facies, ut eo majorem hofti terrorem in-

incuterent. Duæ ſunt earum ſpecies *clauſæ* ſcilicet & *apertæ*. Illæ ſunt, quæ tantum per minuta foramina lucem admittunt; *hæ* vero circa faciem vel prorſus patent, ut *regiæ* ' vel ita, ut hiatus iſte clathris quibuſdam aut circulis ferreis muniatur. Differentiæ ratio non tam a dignitatis diſcrimine, quam ab uſu petenda videtur: ſucceſſu tamen temporis *clathratas* illi duntaxat ſibi vindicarunt, qui Nobilium juribus ex imperii lege gaudent, *plane patulæ* Regibus tribuebantur. Galearum *color* metallo tantum & quidem auro plerumque efformari conſuevit. *Situs* earum eſt vel *rectus* vel *obliquus*, ſi una ſola comparet, recto plerumque ſitu conſpicitur, vel ad dextram inclinata; ſin vero plures uni ſcuto imponantur, elegantiæ cauſa nonnunquam duæ extremæ frontes vel occipitia ſibi invicem obvertunt, mediis recto ſitu locatis. Origo plures uni ſcuto imponendi ab adoptione alienorum inſignium merito derivatur.

Galeis proximæ ſunt *coronæ*, inter quas eminent *Cæſareæ*, quarum alia antiqua *Norimbergæ* adſervatur, alia *domeſtica* ſeu nova Viennæ. *Regiæ* octo vulgo ſemicirculis concluduntur. Quæ ſuperius patulæ foliis & unionibus in margine ornatæ ſunt, *Ducibus*, *Principibus*, *Comitibus* aliisque nobilibus attribuuntur. Coronis affinis eſt *Pileus electoralis*, purpureus, ornatusque vellere

pon-

pontico, cui vix abſimilis eſt *Archiducum du-cumque* pileus; duces reipublicæ *Venetæ* Mitra peculiarem in modum formata utuntur, quibus *Helvetorum* adhuc pileus adjungi poteſt. Nec eccleſiaſticis etiam Principibus ſuæ deſunt coronæ: *Pontificis* ſcuto incumbit triplex, Cardinales pileis rubris, *Archi-epiſcopi* & *Epiſcopi* viridibus, *Abbates* nigris gaudent, quorum primi in *quinque*, ſecundi in *quatuor*, tertii in *tres*, ultimi in *duos* nodulos de jure deſinunt.

Galeæ incumbit *Apex*, cuius nomine id omne, quod ex galea prominet, comprehenditur, vulgo *Cimelia*. Frequentiſſima in his ſunt cornua cervina, arietina, bubula, extremitatibus quandoque repandis, Proſcides elephantorum, alæ, plumæ ſtruthionicæ imprimis & pavoninæ, nonnunquam columnis impoſitæ, aut thecis inſertæ, interdum quoque Hermæ ſeu ſtatuæ pectorales, vel membra tantum humana v. g. caput brachia, crura, item beſtiarum figuræ integræ vel naſcentes, turres, caſtella, columnæ, naves, Vexilla &c. Tinctura *Apicis* eadem eſt quæ ſcuti; ſin vero diverſa apparet, id aliquando indicio eſſe poteſt, Apicem eſſe *adſcititium*. Sæpe tamen nativus color figuris in Apice tribuitur, licet alius & diverſus in parma deprehendatur. Poſtremo adjiciuntur *coronæ tortiles* & *culcitræ*, quarum extremæ oræ non raro lemniſcis & pan-

ni-

niculis diverſæ tincturæ exornantur, & mediæ galeam inter & apicem conſpiciuntur. VI Ad reliqua, quæ ſcuto adjacent, ornamenta pertinent *tegumenta Galearum*, *telamones*, *dignitatum & ordinum notæ*, *lemmata*, & *teſſeræ militares*. Tegumentorum nomine venit omne illud; quo caſſis circumdata conſpicitur, quali tegumento olim milites, vel caloris ab ære ſolaris arcendi, vel diſcriminis ergo in conflictu uſos veriſimile videtur, lacera vulgo exhibebantur; ut ex conflictu referebant milites, dein hæ bellicæ virtutis notæ in vana ornamenta & phaleras degenerarunt, ita, ut reges modo inſignia ſua papilionibus ſeu conopeis, duces vero ac principes nonnulli palliis ducalibus cooperiant. In Tegumentis iſtis *tincturæ* ſcutariæ repeti, interiora tamen metallo, exteriora colore tingi conſueverunt.

Telamones alias *Atlantes*, vel *Tenentes* dicti, appellantur illi, qui ad clypei latus poſiti eundem geſtare aut cuſtodire videntur. Sunt autem Angeli, homines, ſatyri, animalia &c. Originem Telamonum nonnulli ad Caroli M. tempora referunt, alii ad ludos equeſtres, voluntque ſervos tali ſub habitu Dominis ſcuta prætuliſſe. Interdum etiam Telamones Vexilla geſtant.

Notæ *dignitatum* & *ordinum* ſunt variæ, ſic Pontifices habent claves decuſſatas, Epiſcopi, Crucem, pedum, & ſi juriſdictione profana gaudent, inſuper en-

ſem.

ſem. In Galliis primorum miniſtrorum ſcuta variis notis diſcernuntur. Aulæ Mareſchallus, ut ajunt, ſuo clypeo duos ſubſternit ſcipiones; ſummus rei tormentariæ Præfectus adjungit duo tormenta; ſupremus Bellidux duos enſes; duo labara equeſtris legionis dux, pedeſtris vero duo vexilla, ſupremus claſſis Præfectus anchoras duas. Cinguntur præterea inſignia torquibus Ordinum equeſtrium, nec non roſariis, funiculis cum innexis laqueis amorum, & ſertis ex roſis & ſpinis compoſitis.

Interdum *Lemmata* epigraphica ſcuto exterius adjiciuntur, & quidem vel nudis litteris, vel integris vocibus ac ſententiis conſtantia, quæ vel ſuperius vel inferius ſcutis gentilitiis adjiciuntur; uti videre eſt in Regis Angliæ ſcuto: *Honi ſoit, qui mal y penſe*, & ad pedem. *Dieu, & mon Droit*, in Gallico vero: *Mont Joye St. Denys.*

Teſſeræ militares proprie ſunt vocalia illa ſymbola, quorum in bello uſus notiſſimus. Verum uti ſcuta, Galleæ & alia e militia ad uſum Heraldicum pertracta ſunt, ita quoque Teſſeræ a nonnullis e bello ad Familiarum decus translata, iisque propria reddita,

Prælectionibus finem imponet reſolutio ſcuti tum cæſarei, tum principalium Europæ regnorum ad artis Heraldicæ regulas exacta.

SCUTUM CÆSAREUM.

Imperii Romani inſigne eſt aquila nigra biceps, lingua, roſtro, & cruribus coccineis, & circulo in capite eiusdem coloris in ſolo aureo; unguibus dextris tenet gladium & ſceptrum, ſiniſtris pomum imperiale. In ejus medio eſt inſigne majus, quod parmulam, & cor ſcuti complectitur.

Cor ſcuti perpendiculariter diviſum in parte dextra habet faſciam argenteam in campo rubro, quæ *Auſtriam* denotat; in ſiniſtra balteum rubrum, tribus aquilis argenteis ornatum, in campo aureo propter *Lotharingiam*. Faſciam aliqui cum Cuſpiniano Danubium repræſentare credunt, qui Auſtriam ſecat; communis traditio eſt: Leopoldum VII. in expeditione Henrici VI. in Paleſtinam A. 1191. adeo fortiter ſe geſſiſſe, ut primus propugnaculum civitatis Ptolemaidis conſcendens, totam veſtem, candidam prius, cruentam retulerit, excepta parte, quam cingulum militare tegebat. Lotharingiæ ſcutum primus cum Auſtriæ ſcuto conjunxit JOSEPHUS II.

Parmula major per duas perpendiculares, totidemque horizontales in 9 quadrantes diviſa eſt, quibus adhuc in pede triquetrum inſertum eſt.

Quadrans I. habet in campo viridi gryphum argenteum absque alis, ſcintillas ex auribus, naribus & ore vibrantem propter *Styriam*. Ottocarus V. ultimus Styriæ dux A. 1193. improlis defunctus conſenſu ordinum Ducatum Leopoldo VII. ex Domo Babembergica, cognato ſuo, vendidit.

II. Bipertitus d. p. tres leones nigros gradientes in campo aureo, s. faſciam argenteam in campo rubro exhibet propter *Carinthiam*. Inſigne hoc ex Auſtriaco & Svevico compoſitum ab Ottone ſecundo, qui utrique ducatui præerat, originem ducere videtur. Accepit hic Carinthiam ab Henrico, ultimo ex ſtirpe tyrolenſi duce, A. 1331. defuncto.

III. Habet in campo argenteo aquilam cæruleam, corona, roſtro & cruribus coccineis, quæ pectore lunulam exhibet ductu gemino teſſellarum ex argento & minio variegatam propter *Carnioliam*. Hanc ditionem ipſi proceres, cum eorum princeps, ultimus Marchio Craynburgi, ſine prole deceſſiſſet, Friderico Bellicoſo, fama virtutis eius moti, tradidere. In cuius gratiam Fridericus II. Imp. qui illam traditionem confirmavit, ex Marchionatu ducatum fecit.

IIII. In campo aureo tria nigra cornua cervina ſibi incumbentia ob ducatum

Wür-

Würtemburgicum, in quem jus ſucceſſionis domus auſtriaca ſub Rudolpho II. acquiſivit:

V. Siſtit tres Leopardos gradientes nigros in ſcuto aureo ob principatum *Sueviæ*, cuius maximam partem jam a Rudolphi I. tempore domus auſtriaca poſſidet; Carolus V. primus eum ſcuto inſeruit, ſeque Sueviæ ducem & ſcribi & nominari iuſſit.

VI. In ſcuto aureo leonem rubrum corona, lingua & falculis cæruleis ob comitatum *Habsburg* in Helvetia ſitum. Eſt antiquiſſimum hoc domus auſtriacæ patrimonium, quod modo Helvetis ſubjectum eſt.

VII. Habet in campo argenteo aquilam rubeam, cuius corona, roſtrum, crura & ſemi circuli trifoliati alis impreſſi auro fulgent, ob comitatum *Tyrolenſem*, qui per ſpontaneam ceſſionem Margarethæ, Henrici Ducis Carinthiæ & ultimi Comitis Tyrolenſis filiæ, ad Rudolphum IV. eiusque fratres devolutus eſt; donationem hanc confirmavit Carolus IV. dato diplomate A. 1364.

VIII. Per diagonalem bipertitus ſiſtit in parte d: duos baltheos rubros in campo argenteo; in s. Leonem aureum in campo cæruleo ob comitatum *Goritienſem*. Ultimus Goritiæ comitum Leonhar-

dus A. 1500. improlis deceſſit, & ex pacto inter fratres inito comitatus ad Auſtriacos ſub Maximiliano I. translatus eſt.

IX. Balthei rubei in campo argenteo, intermedio palo aureo, ob comitatum *Burgau* in Suevia ſitum, quem jam Rudolphus I. filio Rudolpho cum conſenſu electorum & principum in feudum dedit.

Triquetrum exhibet crucem argenteam in anchoram deſinentem, cujus ſuperior pars in aureo, inferior in cæruleo campo ob comitatum *Gradiſca*; & hic comitatus ſimul cum Goritienſi ſub Auſtriacorum poteſtatem venit.

Scutum majus per plures perpendiculares, pluresque transverſas lineas diviſum, præter inſerta triquetra, octo nobis exhibet quadrantes.

Quadrans I. in medio habet inſigne *Ungariæ*, parmulam nempe perpendiculariter diviſam; in parte d: cernuntur 4 faſciæ albæ in campo rubeo, denotari per eas quatuor præcipuos regni fluvios: Danubium, Savum, Dravum & Tibiſcum communis eſt opinio; in parte s: eſt crux patriarchalis argentea coronæ & triplici colliculo viridi inſiſtens, ob coronam a Pontifice Sylveſtro II. S. Stephano Regi A. 1007. ſubmiſſam. Albertus Auſtriæ Dux, qui Eliſabetham Sigismundi

mundi Imp. & Regis filiam in uxorem duxerat, primus Hungariam, ac reliqua ad eam ſpectantia regna obtinuit A. 1438. Areola I. hujus Quadrantis habet ſcutum *Dalmatiæ*, tria nempe Leopardorum capita aureo coronata in campo cæruleo. II. Scutum *Croatiæ* argenteis rubeisque teſſellis ornatum. S. Ladislaus primus Dalmatiam æque ac Croatiam ſuæ monarchiæ jure perpetuo adjunxit. III- Scutum *Sclavoniæ* inter duas in modum undarum formatas faſcias in campo viridi currentem martem (einen Marder) in capite ſcuti cæruleo ſtella aurea apparret; pes quoque ſcuti cæruleus eſt; duæ faſciæ Savum & Davum denotant, quos inter Sclavonia ſita eſt. IV. Regio perpendiculariter diviſa exhibet in parte d. in campo cæruleo tres coronas radiatas aureas propter regnum *Galiciæ*; in parte ſiniſtra duas faſcias ex argenteis rubeisque teſſellis in campo cæruleo ob regnum *Lodomeriæ*. Hæc regna jam ineunte ſæculo XIII. a proceribus Colomanno Ungariæ Regi collata ſunt, Regesque Ungariæ titulos & inſignia eorum ſemper præſetulerunt, donec tandem M. THERESIA A. 1773. antiqua iura vindicaſſet.

Quadrans II. in parte s. ſiſtit in parmula media ſcutum *Bohemiæ* leonem nempe argenteum, erectum, corona aurea

&

& bisulca cauda insignem in campo rubeo. In area I. cernitur in scuto cæruleo aquila argenteis & rubris tessellis variegata ob Marchionatum *Moraviæ*; in area II. Aquila nigra coronata cum lunula & trifoliis argenteis in pectore in campo aureo ob *Silesiam*; in area III. Taurus aureus in pinnas assurgens in campo cæruleo propter *superiorem Lusatiam* in III. bos ruber ventre albicante in scuto argenteo propter *Lusatiam inferiorem*. Bohemicæ ditiones quoque nuptiis Alberti, inter Imperatores II. ad domum Austriacam devolutæ sunt; Lusatia vero nunc Electori Saxoniæ paret.

Quadrans medius in capite scuti ditiones *Hispanicas* designat: Castellum nempe aureum, porta & fenestris cæruleis, in campo rubro regnum *Castiliæ*; Leo ruber in campo argenteo regnum *Legionis*, quatuor pali rubri in campo aureo *Arragoniam*, scutum decussatim scissum, in cuius superiori & inferiori area insigne Arragoniæ, in utroque vero latere aquila nigra in campo argenteo cernitur, *Siciliam*. Regna Hispanica ex Domo Habspurgica primus possederat A. 1504. Philippus Maximiliani I. filius, Ferdinandi Catholici gener, ex cuius Filia Joanna Carolum V. Hispanorum Regem & Romanorum Imperatorem susce-

pe-

perat; post atrox cruentumque bellum præsenti sæculo Duci Andegavensi cedebantur.

Quadrans IV. in campo aureo exhibet quinque globulos rubros, super quos unus eminet cæruleus tribus liliis francicis exornatus ob magnum Ducatum *Hetruriæ*, qui cum ultimus Dux improlis obiisset, domui Lotharingicæ collatus est.

Quadrans V. Sistit fasciam rubram, in capite scuti emergens aquila nigra, media inter solem & lunam, in pede scuti septem castella rubra ob magnum principatum *Transylvaniæ*, qui pace Carolovicensi perpetuo jure Regno Ungariæ adjectus est.

Quadrans VI. habet in parmula media, pileo ducali tecta, tres baltheos cæruleos in campo aureo, circumdatos ora rubra ob *Burgundiam*. Areola I. nigra exhibet leonem aureum propter *Brabantiam*. II. argentea leonem rubrum propter duc. *Limburg*. III. argentea, quam intersecant fasciæ cæruleæ, Leonem itidem rubrum ob duc. *Luxemburg*. IV. aurea Leonem nigrum ob Comitatum *Flandriæ*. Triquetrum primum horizontaliter divisum exhibet in superiori campo aquilam nigram bicipitem, in inferiori argenteo castrum rubrum tribus turribus munitum, additis duabus abscissis manibus ob Marchionatum *Antwerpiæ*.

Triq;

Triq: II. in campo aureo Leonem nigrum, per quem tranſit baltheus ruber propter Comitatum *Namur*. Auſtriacæ Domus jus in ſingulas Belgii provincias oritur ex coniugio Mariæ Burgundicæ hæredis Caroli audacis cum Maximiliano Auſtriæ Archiduce ac dein Imperatore.

Quadrans VII. Siſtit ditiones *Italicas*, in area quidem prima perpendiculariter diviſa in p. d. aquilam nigram in campo aureo commune *Lombardiæ* Symbolum, in s. ſerpentem cæruleum ternis gyris in palum ſeſe erigentem erumpente ex faucibus infantulo coccineo in campo argenteo propter ducatum *Mediolanenſem*; in area ſecunda crucem rubram in campo argenteo, ad quatuor latera ſunt aquilæ nigræ propter ducatum *Mantuanum*; in triquetro ſex lilia cærulea in aureo campo propter *Parmam* & *Placentiam* proprium domus Farneſiæ ſcutum. Ditiones hæ Italicæ una cum hæreditate Hiſpanica ad domum Auſtriacam devolutæ ſunt. Poſteriores duo ducatus pace Aquisgranenſi proprios ex domo Bourbonica duces accepere.

Quadrans denique VIII. Siſtit inſignia *Lotharingica* ac quidem in parmula argentea *Hieroſolymitanas* cruces, auream nimirum majorem patibulatam, & minores

nores quatuor, imposita est corona antiqua regum radiata. Area I. cærulea liliis francicis spargitur & limbo circumdatur rubro, qua *Andina* prior regia familia notatur, quæ regnum *Neapolitanum* tenuit. II. cærulea duos mullos barbatos obversos aureos exhibet, adjectis ex quatuor lateribus acuminatis crucibus itidem aureis propter ducatum *Bar.* III. cærulea leonem aureum propter ducatum *Geldriæ.* IV. Aurea leonem nigrum propter ducatum *Juliacensem.* Triq. I. aquilam auream in campo cæruleo propter duc. *Teschen.* II. rotam argenteam in campo cæruleo propter comitatum *Falkenstein.*

Scuto maiori incumbit ex p. d. Corona Ungarica, ex s. Bohemica. Cingitur Ordinibus aurei Velleris, M. THERSIÆ & S. Stephani. Insignia ordinis aurei velleris a Philippo bono Burgundiæ duce A. 1430. fundati primus recepit Maximilianus I. reliquos ordines fundavit M. THERESIA. Telamones sunt duo gryphi alati, primus his usus est idem Maximilianus, ac dein Leopoldus I.

Scutum Regum Portugalliæ.

Scutum est argenteum, & quinque parmulas repræsentat cæruleas in crucem dispo-

dispositas. Singulæ autem parmulæ quinis nummis Byzantinis argenteis in decussim positis onerantur. Scuto circumdatur limbus ruber septem castella aurea referens, imposita his est galea coronata, ex qua erumpit draco aureus, cingitur catena ordinis JESU Christi, Telamones sunt dracones duo vexilla, insignibus regiis depicta, gestantes.

Scutum Regum Hispaniæ.

Scutum per perp. & diag. lin. in IV. Quadrantes divisum est, in medio habet parmulam, inferius triquetrum, Parmula representat lilia francica limbo rubro inclusa, regia equidem familia, quæ nunc Monarchiæ præest, ex domo Bourbonica descendit. Quadrans I. area 1 & 4 habent insigne *Castiliæ.* 2. & 3. *Legionis*; II. pars d. *Arragoniæ*, s. *Siciliæ*. III. pars superior *Austriæ*, inferior *Burgundiæ veteris.* IV. *Burgundiæ novæ*, Scutum nempe cæruleum francicis liliis sparsum, & limbo ex rubro & argento tesselato cinctum; pars inferior *Brabantiæ.* In triquetro argenteo sistitur malum punicum ramulo & foliis viridibus, hiante cortice, granulis coccineis propter Regnum *Granadæ*, cingitur Catena ordinis aurei velleris.

Scu-

Scutum Regum Franciæ.

Insigne Franciæ ex duobus coniunctis scutis constat; dextrum cæruleum est, & tres aureos liliorum flores exhibet propter *Franciam*; Sinistrum rubrum est, & sistit catenas aureas bis in quadro & in modum crucis ordinariæ & decussatæ positas, Smaragdum medium continentes, propter regnum *Navarræ*. Hisclypeis imposita est præter galeam corona quoque clausa, laciniæ dependentes scuti colores imitantur, cæruleæ auro reflexæ, omnia hæc tegit papilio regius cæruleis liliis scuti pictus, & pontici muris pellibus exornatus, imposita fastigio corona liliara & vexillo itidem liliato ex hasta dependente. Telamones sunt duo Angeli tunicis fecialibus cum typis scutariis induti, vexilla quoque armis francicis ornata tenentes; addita vulgo est superius tessera militaris *Mont Joye S. Denis*, dependent catenæ Ordinum S Michaelis & S. Spiritus; primum fundavit Ludovicus XI. A. 1469. alterum Henricus III. A. 1579.

Scu-

Scutum Britannicum.

Scutum magnæ Britanniæ in quatuor areas diviſum eſt. Area I. perpend. ſecta ſiſtit in latere d. rubeo tres Leopardos aureos incedentes, altero alteri ſuperimpoſito propter *Angliam*; in ſiniſtro aureo Leonem rubrum erectum, & incluſum limbo rubro externe liliis dimidiis etiam rubris exornato propter Regnum *Scotiæ*. Area II. lilia *Francica*, III. cærulea pſalterium aureum cum chordis argenteis ob Regnum *Hiberniæ* exhibet. Area IV. per pendicularem in duas partes diviſa in medio habet parmulam, inferius triquetrum; in d. latere rubro ſunt duo Leopardi aurei gradientes propter ducatum *Brunſwicenſem*, in s. Leo ruber in campo aureo cordibus rubris conſperſo propter ducatum *Lüneburgenſem* in triquetro rubro equus argenteus currens propter domum *Saxonicam*; parmula denique rubra coronam auream Caroli M. repræſentans munus *Architheſaurarii* Imperii Romani denotat. Scutum cingitur ſubligaculo genuali cæruleo ordinis equeſtris S. Georgii conſtricto aurea fibula & inſcriptione *Honi soit, qui mal y penſe.* Fundatus eſt hic ordo ab Eduardo III. A. 1350. Impoſita eſt corona conſueta angli-

anglica; telamones ſunt Leopardus coronatus & equus unicornis argenteus, itidem corona anglica circa collum, & dependente catena aurea. Subjicitur vulgo ſcuto programma regium francica lingua conceptum: *Dieu & mon Droit.*

Scutum Regum Sueciæ.

In quatuor areas diviſum eſt, & parmulam tam majorem quam minorem continet; in Area I. & IV. ſunt tres coronæ aureæ in campo cæruleo propter Regnum *Sueciæ*; in II. & III. in campo aureo tres balthei cærulei ad modum undarum efformati, quibus imminet leo ruber coronatus, propter Regnum *Gothorum*. Parmula minor cærulea habet Leonem coronatum decem tæniis transverſis argenteis & rubris diſtinctum propter *Haſſiam*. Parmula maior ſex areas complectitur. I. argentea habet crucem rubram patriarchalem propter *Hirſchfeld*. II. transverſe ſecatur, parte ſuperiori nigra ſtella aurea fulget, inferiori parte auro puro tincta eſt propter comitatum *Ziegenhain*. III. aurea Leopardum rubrum erecto ſitu propter comitatum *Cazenelenbogen*. IV. rubra duos Leones aureos gradientes propter comitatum *Diez*. V. ex ni-

gro

gro & auro transverse secta in superiori nigricante stellas duas aureas propter comitatum *Nidda*. VI. denique rubra urticam candentem trium foliorum cum totidem clavis continet propter comitatum *Schaumburg*. Corona regia scuto imposita est, telamones sunt duo leones.

Scutum Regum Daniæ.

Scutum Daniæ per crucem argenteam ora rubra circumdatam in quatuor areas dividitur, simulque parmulam tum maiorem, tum minorem complectitur. Area I. aurea & corculis rubris sparsa tres cæruleos Leopardos refert propter *Daniam* II. rubra leonem aureum bipennem argenteam tenentem propter *Norwegiam*. III per horizontalem divisa in sup. parte tres *Sueciæ* coronas, in inferiori aurea duos leones cæruleos propter ducatum *Schleswig*. IV. itidem horiz: divisa in sup. p. aurea leonem cæruleum, sub quo triplici ordine disposita novem corcula rubra propter *Gothiam*. in infer. rubra draconem coronatum aureum propter Regnum *Vandalorum*. Parmula maior in tres areas divisa, exhibet in prima scutum Com: *Schaumburg*, in II. rubra cygnum argenteum pedibus nigris, cuius

collo

collo inſerta aurea corona propter *Stormariam* in III. rubra cataphractum aureo thorace equo albo inſidentem, & ſtricto gladio minantem propter *Dietmarſiam*. Parmula minor perpend. diviſa habet in d. p. in campo aureo duas faſcias rubras propter Comitatum *Oldenburg*, in s. crucem auream in campo cæruleo propter Comitatum *Delmenhorst*. Superius imminet corona regia, dependent catenæ ordinis Danebrog & Elephantis; primum fundavit Woldemarus II. A. 1219. reſtituit Chriſtianus V. A. 1671. alterum Chriſtianus I. A. 1458. Telamones ſunt duo viri ſylveſtres, totum tegitur tentorio regio.

Scutum Regum Poloniæ.

Scutum Poloniæ quadripertitum eſt. Area I. & IV. rubea exhibet Aquilam argenteam, corona, roſtro & cruribus aureis propter *Poloniam*, II. & III. itidem rubea cataphractum equitem argenteum ſtrictum enſem dextra tenentem, s. ſcutum cæruleum patriarchali cruce aurea inſignitum, inſidentem equo argenteo cæruleis phaleris inſtructo propter Magnum Ducatum *Lithuaniæ*. Bos rubeus in campo argenteo, gentilis teſſera Familiæ

S. Stanislai Scutum

miliæ *Poniatowſkianæ*, conſtituit parmulam mediam. Scuto imponitur galea aperta huic corona regia, apicis loco eſt aquila argentea, laciniæ ſunt argenteæ & rubræ.

Scutum Regum utriusque Siciliæ.

Quinque areas complectitur. I. & IV. ſiſtit campum cæruleis liliis ſparſum propter Regnum *Neapolitanum*. II. quadripertita habet in 1 & 4 regione ſcutum *Caſtiliæ* in 2. & 3. Scutum *Legionis* III. perp: diviſa ex p. d. Scutum *Portugalliæ*, s. *Burgundiæ veteris*; adjectus his eſt in triquetro aureo Leo niger propter *Flandriam*. V. exhibet inſigne M. Ducis *Hetruriæ*; parmula media lilia francica circumdata limbo rubeo, ad deſignandam regiæ ſtirpis progeniem. Imminet corona regia.

Scutum Regum Sardiniæ.

Scutum quadripartitum. Area I. denuo in quatuor regiones diviſa exhibet in 1. crucem *Hieroſolymitanam*; in 2 transverſis decem faſciis argenteis & cæruleis leonem rubeum propter regnum *Cypri*,

in 3. aurea leonem rubeum propter *Armeniam*, in 4. argentea leonem rubeum propter domum *Lucenburgicam*. Area II. perp. diviſa p. d. pullum equinum argenteum in campo rubro propter *Weſtphaliam*, p. ſ. tranſverſas faſcias aureas & nigras, quibus ſertum rutaceum viride inductum eſt propter *Saxoniam*; in triquetro tres vaginarum cuſpides propter *Angriæ* ducatum. Area III. bipertita in p. d. in campo argenteo, ſchedulis nigris conſito, Leonem nigrum propter duc. *Chablais* in ſ. nigra leonem argenteum propter duc. *Aoſta*. IV. denuo bipertita p. d. teſſellas cæruleas & aureas propter duc. *Genevois* ſ. argentea cephalum rubeum propter duc. *Montferat*, in triquetro aquilam nigram in camp. aur. propter Com. *Maurienne*. Parmula maior arg. exhibet crucem rubram & adiuncta in quatuor angulis Maurorum capita argenteis ligulis cincta, propter regnum *Sardiniæ*, parmula minor in campo rubro crucem argenteam propter duc. *Sabaudiæ*. Scutum tegit corona regia, regioque pallio cingitur.

SCUTUM MOSCOVITICUM.

In campo aureo aquila biceps nigra coronata, in unquibus ſceptrum & pomum imperiale tenens propter Imperium *Ruſſicum*. In pectore aquilæ cernitur majus ſcutum in alis ſex minora. Majus rubrum repræſentat S. Georgium draconem interimentem propter magnum principatum *Moſcoviæ*. Scutum minus primum cæruleum Angelum argenteum aureo gladio & clypeo ornatum, propter magnum Principatum *Kyoviæ*, II. aureum duos erectos urſos nigros ſedem rubram & ſceptra tenentes propter Principatum *Novogrod*. III Cæruleum coronam auream & gladium propter R. *Aſtracan*. IV. rubrum leonem aureum crucem argenteam unquibus tenentem propter Magnum Ducatum *Wlodimeriæ*. V. arg. draconem nigrum propter R. Caſan VI. cæruleum duos argenteos lupos adverſos tenentes aureum arcum propter regnum *Siberiæ*. Scutum ornatur corona imperiali & Catena ordinis S. Andreæ, quem Petrus M. A. 1689. fundavit.

Carolingicum

Saec. X. ex diplom. Henr. I Aucupis

Fig I




Fig II



Fig. III





Fig. IIII



Jo: Eberspach fe


1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
A B C
D E F
G H J
15.
16.
17.
18.
19.
Jo Eberspach fe.